

**Giannozzo Manetti**  
**(1396-1459)**

## APOLOGETICUS

---

### [Liber primus]

PREFATIO IANNOZII MANETTI AD ALFONSUM, CLARISSIMUM ARAGONUM  
REGEM, IN V LIBROS ADVERSUS SUE NOVE PSALTERII TRADUCTIONIS  
OBTRECTATORES APOLOGETICOS, INCIPIT FELICITER

[1] Cum novam quandam totius Psalterii de hebraica veritate in latinam linguam traductionem, anno iam propemodum elapso, absolvisset atque id opus, qualemque sit, huic tam claro tamque gloriose Alfonsi regis nomini cum maxima reverentia dedicatum, ad Maiestatem tuam transmissem, a non nullis partim ignavis, partim doctis hominibus, sed in sacris ac divinis Litteris parum eruditis, me in eo opere quodam arrogantie crimine insimulatum ac reprehensum et obiurgatum fuisse audivi. [2] Id enim solum obtrectatores mei (quantum ego, diligenter et accurate totam rem perscrutatus, haurire et intelligere potui) hac generali sententia obicere videbantur, quippe quamcunque aliam sacrorum librorum sive de hebreo sive de greco idiomate in romanam linguam translationem, post celebratas illas et decantatas Hieronymi nostri utrinque hebraice ac grece in latinum eloquium fideliter eleganterque conversas, superfluam quandam et supervacaneam atque arrogantem cum fuisse tum quoque fore asserebant. Quod cum ego mecum crebro animadverterem, ac quale id ipsum iniuste et temerarie reprehensionis mee genus esset sepenumero paulo diligentius considerarem, profecto mecum satis inique atque impie admodum haud immerito agi putabam. [3] Nam cum pro multis et magnis ac piis et devotis laboribus lucubrationibusque meis ad defensionem sacrarum latinarum Litterarum adversus non nullas falsas hebreorum virorum de codicibus nostris incusationes ac calumnias duntaxat conversas, singularia quedam laudum et commendationum atque honorum premia deberentur, ita male de his obtrectatoribus meis non dico hebreis, sed christianis hominibus merebar, ut contraria vituperationum et ignominiarum atque infamiarum damna reportarem. Equo tamen animo illa quecunque et qualiacunque essent, pro virili mea ferenda ac tolleranda propterea non iniuria esse censebam, cum quia mihi ipsi sincere et pure veritatis conscius eram, tum etiam quia ea a malivolis quibusdam invidisque et ignaris hominibus provenire non dubitabam.

[4] Ad hec accedebat quod equiori animo ac facilius huiusmodi adversus me maledicta perferrem, quia nullis unquam egregiis quaruncunque rerum sive grecis sive latinis scriptoribus, memoria ab antiquitatis origine repetita, in quocunque scribendi genere (quasi id naturale hominibus esset, ut alii in hac presertim cuiuslibet digne scriptionis

excellentia aliis invidenter) detractores defuisse memineram. Ut enim a poetis incipiam, quos omnium aliorum scriptorum, hebreis duntaxat exceptis, primos fuisse manifestum est, Homero et Hesiodo, Terentio ac Virgilio, ut duobus precipuis utriusque lingue paribus multis aliis omissis contenti simus, quanquam consensu pene omnium quisque illorum in poemate ceteris excellere videretur, plures obtrectatores non defuere. [5] Nam et Homero Xenophanes Colophonius philosophus, et Zoilus quidam nescio quis greco cognomine *Mastix* (quod latine *Verberonem* significat), et Galba denique imperator plurimum obtrectavere. Quorum primus ita ei detrahebat, ut illud Hieronis, Sicilie tyramni, audire mereretur. Nam cum ipse apud predictum Hieronem, tenuitate patrimonii coactus, vix se duos servos alere posse conquereretur, ita respondisse fertur: «At Homerus, cui tu detrahis, plures quam decem milia vel mortuus alere et educare videtur». Secundus adversus eius libros grece conscripsit. Tertius ipsius carmina ita execratus est, ut «de abolendis» illis aliquando cogitaret, idem «sibi» imperanti «licere» testatus «quod Platoni», homini privato quamvis docto et eruditio, antea «licuisset, qui illum e civitate quam constituebat», cum ceteris poetis eiciendum atque expellendum esse existimavit.

[6] Id etiam ipsum Hesiodo evenisse legimus, atque eadem et Terentio et Virgilio contigisse non dubitamus. Quippe Terentio Lanuinus quidam obtrectare non destitit, quin immo ut eum a scribendo deterret, illi ipsi tria scribenti vitia obiciebat. Primo nanque quod eas quas e greco vertebat fabulas, sibi soli ac si sue essent nec ab illo traducte fuissent impudenter arrogabat. Deinde de bonis grecis malas in conversione latinas effectas. Postremo fabulas ab eo sive scriptas sive traductas tenui esse oratione scripturaque levi criminabatur. [7] Nec «Virgilio» quoque «obtrectatores defuere». Nam et Numitorius et Caribilus et M. Vipranius et Herennius et Petilius Faustus et Evangelus quidam et Anneus Cornutus mirum in modum varieque obtrectarunt. Alii nanque Bucolicum carmen a Theocrito Siracusano, alii Georgica ab Hesiodo et ab Arato, alii Eneida ex utrisque celeberrimis Homeri Iliados et Odyssee poematisbus pleraque usurpasse obiecere. Et non solum ab Homero, ut est communis fere omnium eruditorum hominum consensus, sed etiam a Pindaro et ab Apollonio, Argonauticorum scriptore, et a Sophocle et Eschilo, tragediarum auctoribus, et a Partenio insuper grammatico, suo grecarum litterarum preceptore; [8] et non modo a grecis, sed a latinis preterea poetis cum plurima usurpasse obiurgabant, siquidem ab Ennio, a Nevio, a Pacuvio, ab Accio, a Furo, a Varo, a Lucretio denique multa illum suscepisse dictitabant. Nec his obiurgationibus contenti, alia quedam probra adiungebant, quod scilicet non nulla ab aliis usurpata iejune exiliterque disseruerat, ac etiam parum proprie plura absurdeque tractaverat, atque ea ipsa in medium adducebant, [9] quale est illud:

«candida succintam latrantibus inguina monstris

Dulichias vexasse rates...»;

et aliud:

«...quis aut Euristea durum  
aut illaudati nescit Busiridis aras?»

et tertium:

«Et inamabilis unda de Stigia palude canens»;

et quartum:

«per tunicam squalentem auro latus haurit apertum»;  
et quintum:  
«Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat  
succinctus trabea...»;  
et sextum:  
«... et mala mentis  
gaudia»;  
et septimum:  
«Dedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna  
prepetibus pennis ausus se credere celo»;  
et octavum, cum Veneris et Vulcani concubitum commemorat; ac plura alia huiusmodi,  
que brevitatis gratia omittere quam hoc loco explicare maluimus. Hec quidem  
vergilianorum, ut aiunt, errorum annotamenta falseque columnie cum ad manus Asconii  
Pediani, egregii rhetoris, pervenissent, vehementi quadam mentis indignatione  
stomachoque indignabundo commotus, sese continere non potuit, quin librum quemdam  
in maximi poete defensionem quasi apologeticum scribebat, quem titulo *Adversus Vergilii*  
obtrectatores inscripsit prenotavitque.  
[10] Quid de oratoribus grecis latinisque dicemus? Nonne ipsi etiam quamvis in arte  
dicendi admodum excellerent, obtrectatores habuere, quippe Demades et Eschines  
Demosthenem, ac versa vice Demosthenes Demadem atque Eschinem vehementer  
emulatus est, quemadmodum ex pluribus aliis eorum scriptis et precipue ex duabus illis  
celeberrimis ac nobilissimis et *Contra Ctesiphontem* et *Pro Ctesiphonte* orationibus inter  
seque contrariis plane aperteque deprehenditur? Neque Cicero Hortensio, neque  
Hortensius Ciceroni, pluresque alii huiusmodi oratores quibusdam eius generis in  
obtrectando pepercisse videntur. De quo quidem in principio *De finibus bonorum et  
malorum* idem Cicero inter cetera his pene verbis apprime conqueritur: *Quod scilicet  
varium quoddam reprehensionis nostre genus vitare non poteramus, nisi omnino nihil  
scriberemus.*  
[11] Tuchididi insuper et Herodoto, Livio ac Sallustio, optimis grecis latinisque historicis,  
idem ut eorum scripta a quibusdam emulis reprehenderentur, evenisse legimus. Nam et  
Grecos mendacia historiis scripsisse ac verbosos prolixosque nimis extitisse obiectum  
fuisse novimus. Et Tuchidides quoque Herodotum in Historiarum suarum commentariis  
parumper carpsisse legitur. Et Cr. Sallustio nimiam dicendi brevitatem et T. Livio  
superfluam quandam enarrandi amplitudinem non nulli arrogantes impudentesque  
alienorum scriptorum censorses attribuisse videntur. Sallustium enim a pluribus invite  
atque «inscite ab Asinio Pollione reprehensum quod transfretationem transgressum»  
dixisset, A. Gellius in libris Noctium Atticarum idoneus testis est; [12] ac eisdem grecis  
historicis Livioque presertim nostro vitio datum fuisse cognovimus, quod ducum et  
imperatorum prestantissimorumque aliorum virorum contiones et orationes mediis  
gestarum rerum narrationibus admiscuissent, ac si ea ipsa perscribere a proprio quodam et  
peculiari cunctorum historicorum officio et munere vel maxime abhorrire putaretur. Nec  
defuerunt etiam usque ad tempora nostra qui livianum dicendi genus, utpote rude  
quoddam et rusticana quoque patavinitate nescio qua conditum, carperent lacerarentque.

[13] Et quod maius ac profecto mirabilius est, philosophi ipsi, qui preter singularem quandam philosophie sue doctrinam, vite probitatem profiteri videbantur, nequaquam hac mutue obtrectationis peste caruere. Siquidem Plato Xenophontem, et e contra Xenophon Platonem emulatus est. Et Aristoteles, non modo philosophus, sed aliorum etiam philosophorum pace cunctorum dixerim!- facile princeps, precipua doctrinarum suarum excellentia pluribus emulis carere non potuit, qui adversus eum non nulla scripserunt: ac presertim Theocritus quidam Chius, qui suo quodam nobili, sed amaro epigrammate inter cetera illi integerrimo atque accuratissimo philosopho obscenitatem atque desidiam obiecisse exprobrasseque videtur; et alter quoque philosophus Eubolides Milesius, quem inimico adversus eum animo in plurimis ipsum Laertius Diogenes reprehendisse testatur.

[14] Et Senecam, acerrimum Stoicorum, Quintilianus rhetor et commemoratus A. Gellius grammaticus non solum ipsum in suo genere dicendi, sed etiam in eius doctrina obiurgare ac reprehendere ausi sunt. Quorum utrunque predictus A. Gellius maxime fecisse cognoscitur. Nam totam illius doctrinam utpote puerilem ac inanem et insulsam omnino pervertere atque penitus contumeliosis sane verbis labefactare conatus est. Et idem A. Gellius Plinium Secundum, virum prestantissimum scriptoremque nobilissimum, quod multa prodigiosa in libris Historie Naturalis Democrito philosopho falso tribuisset, reprehendere et obiurgare non dubitavit.

[15] Et denique (quod ceterorum omnium maximum, et id quod iusta admiratione refertum videri debet!) divinarum litterarum professores, et quidem christiani ac religiosissimi homines, huius vicissitudinarie emulationis nequaquam expertes evasere. Siquidem Augustinus ac Rufinus Hieronymum pluribus sacrarum litterarum locis vehementer reprehenderunt ac totam illam Veteris Testamenti translationem eius, utpote non necessariam, sed superfluam quandam ac inutilem perpetue quantum in ipsis fuit - infamie, postquam ediderat, damnare non dubitarunt; ante vero quam ederet, amice exhortabantur, ne in traducendis sacris veteribus litteris aliquatenus laboraret, quemadmodum duabus precipuis Augustini ad eum epistolis plane aperteque deprehenditur. [16] Quibus quidem et aliis huiusmodi eius obtrectatoribus ipse pluribus prefationum suarum locis acribus verbis et non sine ingenti quadam animi indignatione respondit, atque in epistolis quoque suis ab huiusmodi obtrectatoribus sese defendere tutarique non cessat. Nam et quodam predictarum prefationum loco

«Obtrectatores», inquit,

«mei asserunt me in Septuaginta interpretum sigillatione nova pro veteribus cudere, ita ingenium quasi vinum probantes», et reliqua. Et alibi ita ait: «Que audientis vel legentis utilitas est? Nos laborando sudare et alias detrahendo laborare?». Et in prefatione sui de hebraica veritate Psalterii ad Sophronium, ita scribit: «Unde impulsus a te, cui et que non possum debeo, rursus me obtrectatorum latratibus tradidi». Et in libro De optimo genere interpretandi eadem repetit pluraque alia subiungit; et in volumine Epistolarum ad Augustinum vel dehortantem a transferendo vel iam traducta carpentem, acriter vehementerque respondere non dubitavit.

[17] Quid tandem de novellis sacrarum disciplinarum doctoribus referemus? Nonne Franciscus Mayronensis Aquinatem Thomam, virum cum sanctimonia vite tum plurimarum quoque doctrinarum generibus apprime affluentem, pluribus locis ac

presentim sanctorum Sententiarum libris admodum insectatus est? Quapropter si plerisque tam grecis quam latinis quaruncunque rerum artiumve scriptoribus obtrectatores (quasi ita natura comparatum esset!) nunquam defuisse manifestum est; id nobis his novis depravatisque temporibus pariter accidere nec miramur nec etiam nimis moleste ferimus, quod effugere et evitare nullo modo poteramus, ceu apud Ciceronem, ut supra diximus, scriptum legimus, nisi nihil omnino scripsissemus.

[18] Licet vero hec et cetera huiusmodi maledictorum in nos genera equo, ut scripsimus, animo ferenda et tolleranda ob commemoratas causas esse foreque constituerimus atque ita feramus tolleremusque, puram tamen ac sinceram sacrarum litterarum nostrarum veritatem adversus quoscumque tam pios (hoc est catolicos) quam impios (id est incredulos infidelesque) obtrectatores atque, ut ita dixerim, impugnatores aperto, ceu dicitur, marte non iniuria defendere ac protegere tutarique decrevimus. [19] Nam si Aristoteli, philosophorum, ut diximus, magistro et principi, adversus Thalem Milesium, Anaximandrum, Anaximenem pariter Milesios, Anaxagoram Clazomenium, Parmenidem, Melissum, Democritum Abderitem, Leucippum, Prothagoram, Archelaum, Pythagoram Samium reliquosque antiquissimos sapientie amatores et (quod longe maius est) adversus Socratem, fulgidum quoddam humanarum virtutum iubar et oraculo Apollinis omnium sapientissimum iudicatum, et (quod mirabilius etiam videri debet) contra Platonem preceptorem suum pro simplici quadam ac seculari et ethnica, ut ita dixerim, veritate scribere licuit, [20] quid nos christiani homines pro defensione catolice fidei ac sacre divineque veritatis conservatione facere debemus? An eam per silentium et taciturnitatem nostram turpiter impugnari ac sine aperta virilique protectione tam abiecte perire permittemus, cum gentiles ethnicosque philosophos pro humana veritate scriptis suis tam acriter dimicasse ac pugnasse intellexerimus? Vera est enim illa celebrata tritaque predicti Aristotelis sententia veritatem amicitie absque dubitatione preferendam fore, quam quidem in primo Ethicorum his verbis expressisse videtur: «Quanquam hec questio perardua sit ob amicos viros, qui ideas introduxerunt, sed pro defensione veritatis etiam propria delere oportere presentim philosophos magis forsitan existimandum est. Nam cum ambo sint amici, pium est veritatem in honore preferre».

[21] Quas ob res his et huiusmodi rationibus adducti, sacram profecto et catolicam ac divinam veritatem his brevibus ac particularibus scriptis nostris maioris brevitatis causa protegere, et paulo post prolixis quibusdam et generalioribus protectionibus ac defensionibus explicande veritatis gratia, omnipotentis Dei favoribus auxiliisque adiuti ac suffulti, defendere tutarique constituimus. Sed ut tota huius tante tamque saluberrime rei veritas paulo evidenter elucescat, haud inutile fore existimavimus si non solum de compilatione Psalterii, de qua quidem principalis questio in presentiarum accidere oriri que videtur, sed de cunctis quoque aliis hebraicarum litterarum scriptoribus, qui in sacro canone continentur, eorumque interpretibus non nulla memoratu digna paulo altius ab origine repetemus.

[22] Quocirca primo de antiquis hebreorum et quidem sacrorum librorum scriptoribus, deinde de quibuscumque dignis eorum traductoribus, nunc quo a nobis brevius fieri poterit, alias vero, cum plus otii dabitur, si Deus adiutor noster erit, multo latius et uberius disseremus. Ab hebreis ergo divinorum codicum compositoribus merito incipientes, non

ab re fuerit iuxta precipuum sui canonis ordinem eos singillatim recensere. Proinde Hebrei veteres sacros libros ceteris omnibus scriptis suis longe preferentes atque sine ulla comparatione dignissimos fore existimantes, scripta ipsa triplici sancte dignitatis gradu optime simul ac pulcherrime distinxerunt et cuncta illa viginti quatuor voluminibus comprehendenderunt.

[23] Primum igitur scriptorum suorum gradum Lex divina obtinere non dubitatur, que quinque libros continens Thora hebraice nuncupatur. Secundus est Profetarum, quos ipsi Neviin dicunt atque octo codicibus comprehenduntur. Tertius Agiographa continet, que illi Chedovin quasi Spiritu Sancto dictata vocaverunt atque in undecim libros partiti sunt. Moyses ergo, ut a vetustiori scribendi genere incipiamus, cunctorum scriptorum, quorum volumina vel apud Hebreos vel apud Grecos vel apud Latinos reperiantur, primus, hebreis parentibus in Egypto natus ac per hoc, cum ibi educaretur, omni Egyptiorum sapientia apprime eruditus, Amiramis et Iocabel filius fuit. Hic quinque illos tam celebres tamque divinos libros gesta Hebreorum a conditione orbis usque ad extreum vite sue tempus continent, ea sevissima ac turbulentissima prime egyptiaceque captivitatis tempestate conscripsit; quos Hebrei suo idiomate Thora (id latine Legem, ut diximus, significat) titulo prenotarunt atque eosdem Greci unico verbo a numero librorum Pentateucum appellaverunt (quod in latinum conversum, quinque libros significare videtur).

[24] Secundus vero gradus Prophetas continet, quorum primus est liber Iosue, quem composuit quidam nomine Iosue, filius Nun. Hic est ille qui in ducatum israelitici populi ob incredibilem quandam virtutum suarum excellentiam predicto Moysi successisse traditur atque una cum Septuaginta illis senioribus, quos Moysi ipsi ad gubernandum regendumque eundem israeliticum populum a principio datos fuisse ac per diversa postea tempora successisse constat, commemoratum librum scripsisse perhibetur. Sequitur deinde Iudicum codex, quem Samuelem prophetam simul cum predictis Septuaginta usque ad dimidium pene libri, qui hebraice Samuel inscribitur, et singula gesta usque ad eius mortem complectitur <scripsisse perhibetur>; reliquam vero alterius fere dimidii partem post mortem Samuelis solos commemoratos Septuaginta, graves quosdam idoneosque auctores, continuasse et absolvisse legimus.

[25] Quartus sequitur liber Regum, quorum digna memoratu atque profecto mirabilia gesta predicti Septuaginta perpetuis hebraicarum litterarum monumentis mandaverunt. Quintus Esays. Sextus Hieremias. Septimus Ezechiel. Ultimum unum Duodecim Prophetarum volumen, quos omnes unico titulo Tereassar ad numerum librorum appellaverunt (quod lingua caldea in latinum interpretatum, Duodecim plane aperteque significat), atque eos ipsos Latini in duodecim libros distinxerunt et a parvitate suorum voluminum in comparatione aliorum maiorum prophetarum Duodecim Minores cognominaverunt.

[26] Esays, libri sui scriptor, nobili ac regio genere Hierosolimis ortus, Amos cuiusdam (non illius qui parvam prophetiam scripsit, sed alterius Amos etiam prophete) filius, sub Ozie, Ioatan, Acaz, Ezechie, Hebreorum regibus, scripsisse ac prophetasse traditur, ac demum a Manasse, commemorati Ezechie filio, illum interimere vel maxime cupiente, at cum ipse divino quodam omnipotentis Dei miraculo cedri arbore coram mirabiliter

adaperta occultaretur, una cum predicta arbore serra sectus, hoc sevo et inhumano ac profecto immani et inaudito mortis genere damnatus, interimitur.

[27] Hieremias pariter prophetie sue librum scripsit. Hic fuit Helchie cuiusdam prophete filius, Anathothites in vico quodam hoc nomine nuncupato, qui a Hierosolimis tribus passuum milibus distabat, sacerdos a sacerdotibus natus, proinde nobili genere ortus, quoniam tribus sacerdotalis ob singularem eius dignitatem tribui regie coniuncta erat, et in matris quoque utero sanctificatus, hic sub tribus regibus Iosia et Ioathan, eius filio, ac Ieconia, filio Ioachim, prophetavit, licet ipse Iosie solius mentionem ex eo fecisse videatur, quia reliqui duo tribus duntaxat mensibus regnaverunt.

[28] Ezechiel prophetie sue librum scripsisse non dubitatur. Hic fuit Buzi cuiusdam sacerdotis ac prophete filius, atque una cum Ioachin rege captivus in Babilonium usque perductus, in ea captititate in loco quodam Caldeorum iuxta fluvium nomine Cobar prophetasse ac prophetiam suam scripsisse perhibetur. Ultimus in hoc secundo sacrarum litterarum gradu Duodecim Prophetarum liber collocatur et ponitur, quorum variis titulis unum eorum volumen prenotatum, ut diximus, scriptum fuisse manifestum est. Illorum primus in ordine ponitur Osee: hic fuit Beri cuiusdam prophete filius ac Esaie temporibus floruit et sub eisdem regibus prophetavit. Ioel secundus prophetie sue scriptor, Fatuelis etiam prophete filius, temporibus quoque Esaie et Osee prophetasse ac scripsisse traditur.

[29] Amos tertius, non Esaie pater, ut supradiximus, quanquam et ille etiam propheta fuerit, licet prophetiam non scripserit, ut hic noster Thecue opido quodam, unde Thecuites, a loco nativitatis cognominatus, quod sex passuum milibus a Bethleem distabat, temporibus Esaie et Osee prophetasse scribitur. Ille nanque Esaie pater nobili ac regia stirpe oriundus, huius vero genitor ex ignobili et pastorali genere fuit; atque uterque diversis apud Hebreos caracteribus annotatur. Hunc Amasias sacerdos pluribus frequenter plagis affecit, et non multo post Ozias, eius filius, vecte quodam per tempora crudeliter admodum impieque transfixit ac demum interemit.

[30] Abdias quartus prophetiam suam et ipse conscripsit. Hunc Hebrei illum esse dicunt, qui sub rege Sammarie nomine Achab, cuius pecunie minister erat, cum impiissima Iezabel passim quoscunque prophetas occideret, centum ex illis in speluncis, quo salutis sue causa configuerant, pavisse scribitur et ob hoc tam singularis ac tam precipue pietatis sue munus prophetandi gratiam divinitus suscepisse creditur. Ionas in ordine quintus prophetie sue scriptor extitit. Hunc Hebrei veteres catolicique doctores nostri celeberrime illius mulieris Sareptane, quem Helias propheta de morte ad vitam suscitavit, filium fuisse predictum, non Amathi patris, ut in textu exprimi videtur, si ad litteram intelligatur.

[31] Hunc talem nostri prophete patrem non nulli extitisse tradidere. Quod paulo diligentius et accuratius considerantibus nequaquam verum propterea esse videbitur, quia vidua illa que mater eius fuisse creditur, non de israelitico, sed de gentili populo fuerat. Proinde eius virum pariter gentilem extitisse iure dubitare et ambigere non possumus. Ethnicis enim et alienigenis hominibus prophetie spiritus non dabatur, sed solis fidelibus et sanctis viris servabatur. Unde alterum duorum consequi necessarium est, vel quod Ionas iste noster non fuerit illius Sareptane vidue vel predicti Amathi filius.

[32] Nam certa quedam et expressa cum Hebreorum tum doctorum quoque nostrorum sententia est patres prophetarum, quorum nomina in principio sacrorum librorum

exprimuntur, pariter sicut et filios fuisse prophetas; itaque Amathi propheta ac fidelis et non gentilis fuisset. Quocirca illi opinioni, utpote et veriori et universaliori, quod vidue filius fuerit magis potius quam adhereo et nomen Amathi in textu expressum ad mysticum veritatis, ut hebraice significat, intellectum mea quidem sententia traducendum non iniuria existimo. [33] Hunc cuiuscunque filius fuerit, temporibus Roboam, regis Israel, scripsisse ac prophetasse prodidere. Hic est ille qui in periclitatione cuiusdam naufrage navis, qua cum ceteris vehebatur, salutis gratia in mare projectus, a cete pisce absortus et devoratus est, in cuius ventre per universum triduum (mirabile et incredibile dictu nisi sacris litteris contineretur!) vivus perseveravit ac quarto demum die eodem illius piscis ventre, in quo per totum triduum continue vixerat, omnino integer penitusque illesus in lucem exivit evasitque.

[34] Micheas Morastites, hoc est in Morasti opido natus, prophetie sue scriptor, tempestate Ioathe, Achaz et Ezechie, regum Iuda, in libris De gestis Regum ac Paralipomenon scripsisse ac prophetasse legitur. Naun de loco quodam nomine Helcesei oriundus, et ipse in ordine septimus, prophetiam suam scripsit, cum ante adventum regis Assyriorum, qui Israeliticum populum in suas Syrie regiones captivum traduxerat, prophetasse Hebreorum traditiones asserere et confirmare videntur.

[35] Abacuch octavus, et ipse prophetiam propriam litteris mandavit. Hic est propheta ille qui ad Danielem, dum in lacu leonum captivus esset, cum cibariis illis tam oportunis tamque necessariis alendi gratia missus fuisse fertur. Sophonias, ut ceteri eius college, prophetiam suam scripsisse non dubitatur. Hic gloria quadam maiorum suorum stirpe ortus est; siquidem patrem Chusi nomine, Godoliam avum, Amasiām proavum, Ezechiam atavum, celeberrimos reges simul atque egregios prophetas, habuisse non immerito gloriari potest, ac Iosie, iusti piique principis Iudee, temporibus floruisse traditur.

[36] Aggeus, huius ordinis decimus, prophetie sue scriptor fuit. Hic ad Zorobabel et ad Iesum, filium Iosedech, summum illius temporis sacerdotem, ab omnipotenti Deo missus est, ut eos de illis, que propemodum eventura erant, plane aperteque admoneret. Zacharias penultimus prophetiam suam et ipse conscripsit. Hic Barachie patris filius et Abdonis avi, prophetarum, nepos fuit, ac secundo Darii, Medorum regis, anno simul cum Aggeo prophetasse ac scripsisse narratur. Malachias omnium ultimus, de cuius vita et moribus nihil certum ab aliquo idoneo auctore scriptum fuisse legimus. Illa vero que de angelo quodam in corpore assumpto <narrantur>, quemadmodum eius nomen de hebreo in latinum conversum significare videtur, vel quod fuerit Esdras scriba, ceu a quibusdam traditur, utpote frivola quedam et inania penitus omittantur.

[37] Cum igitur de primo ac secundo sacrorum librorum ordine non nulla breviter attigerimus, reliquum est ut de tertio Agiographorum deinceps pauca dicamus. Hic igitur tertius divinorum librorum ordo in undecim varios diversosque codices distinguitur ac per hoc totum Testamentum vetus viginti quatuor voluminibus continetur. Huius tertii gradus primus in ordine Paralipomenon liber accedat, quod quidem nomen grece Pretermissa significat, quoniam illa subiungere subtexereque conspicitur que in libris Regum antea omissa fuisse videbantur; et apud Hebreos huiusmodi Diureagianum titulo prenotatur. Que quidem dictio in latinum ad proprietatem traducta verba Dierum manifeste interpretatur, sed per tropum dicendi, quo unaqueque lingua peculiariter abundat, apud

nos Gestā temporū paulo elegantius significare perhibetur. [38] Huius libri auctores predicti Septuaginta extitisse creduntur, licet secundum sententiam Rabi Salomonis ab Esdra scriba legisque doctore scriptus fuisse videatur. Is enim cum non nulla que ad vetus Testamentum pertinebant, a prioribus scriptoribus vel omnino pretermissa vel iejune et exiliter tractata conspicaretur, ea in hunc librum concessit; nec defuerunt etiam qui certum quendam huius operis scriptorem ignorari faterentur. Hunc Psalterium sequitur, cuius David rex plerunque ac pene omnino compilator extitisse non dubitatur. De quo quidem opere ad extremum paulo diligentius atque uberiorius disseremus, cum id ipsum ad nostrum propositum vel maxime spectare ac pertinere videatur.

[39] Accedit Proverbiorum liber, quem Salomon, commemorati David regis filius, scripsisse traditur. Quarto loco Iob in ordine ponitur, cuius auctorem Moysem, divine legis latorem, fuisse Hebrei traditionibus suis memorie prodiderunt; atque eam quorundam nobilissimorum principum ac amicissimorum inter se virorum disputationem (per sententias in medium adductas atque hinc inde collatas et comparatas), ut certa quedam et vera ac expressa de Providentia divina, de qua veteres philosophi satis dubitasse et ab invicem acriter contendisse ac inter se certasse creduntur, sententia ad utilitatem totius humani generis innotesceret; licet non nulli catolici sacrique doctores nostri longe aliter de commemorati libri auctore sentire videantur, qui eam predicti dialogi disputationem a Iob quodam non Hebreo origine, sed viro gentili ac proselito, quemadmodum re vera gesta fuerit, conscriptam fuisse arbitrantur.

[40] Quartus subtextitur Ruth, quem libellum Hebrei veteres eisdem traditionibus suis a predictis Septuaginta senioribus litteris mandatum scribere non dubitarunt. Cantica canticorum per ordinem in medium afferantur; hunc parvum codicem a commemorato Salomone scriptum fuisse constat. Chinoth insuper hebreis sacrarum litterarum lectoribus offertur, cuius scriptor Hieremias propheta ille celeberrimus fuit; atque id nomen ex hebreo in latinum conversum non ab re Lamentationem significat, quoniam ibi futurum Hierosolime excidium multum admodum deploratur.

[41] Octavus in ordine Ecclesiastes adventat, cuius scriptorem predictum Salomonem, ille ipse de se loquens, in principio voluminis sui fuisse testatur, atque hebraice Coeletus inscribitur, quod latine Contionatorem significat, quia ad humanum genus diversis ex locis in unum, ut ipse fingit, hinc inde collectum inter se solum varias tamen personas gerentem disputationem, non ut in dialogis per diversos collocutores fieri consuevit, de summi boni constitutione instituisse profitetur. Librum Hester titulo prenotatum, a Septuaginta commemoratis senioribus compilatum Hebreorum traditiones asserere et confirmare videntur.

[42] Daniel decimus in Agiographorum ordine sequitur, qui pleraque prophetie sue loca caldeo sermone, licet hebraicis characteribus, conscripsit. Esdras ultimo loco non iniuria collocatur et ponitur. Hic enim fuit ille peregregius Legis et Prophetarum ac totius sacre scripture doctor, qui hunc divinorum librorum catalogum in eo in quo nunc apud Hebreos cernimus ordine, optime digessisse ac pulcherrime instituisse perhibetur. Nam cetera omnia que de Tobia, Judith ac

Sapientia, vulgo Salomonis inscripta, et de Ecclesiastico, qui liber a Iesu quodam, Sirach filio, compositus fuisse traditur, et de duabus denique Machabeorum codicibus, utpote

apocripha et incerta et ab Hebreis veteribus repudiata, in presentiarum missa faciamus et ad nostrum David, unde longius digressi sumus, parumper redeamus.

[43] De hoc Psalterii sacro divinoque opere, quod a David, clarissimo Israel rege, plerunque constat fuisse compositum, tria in primis breviter admodum querenda esse videntur. Primo enim utrum huius Psalterii titulus unum vel plures libros continere videatur; secundo utrum carminibus vel soluta oratione editum fuisse appareat; tertio utrum omnes psalmi in hoc Psalterii volumine contenti sint numero centum quinquaginta nec plures nec pauciores reperiantur, et utrum omnes a David solo compositi fuisse credantur. Nos igitur ad singula queque eo ordine quo proposita sunt, declarande veritatis gratia brevissime respondebimus.

[44] Quinque et non unum solum esse Psalterii libros vetus quedam et certa cunctorum Hebreorum opinio est, ita trita ac vulgata, ut de hoc apud eos nullatenus ambigatur. Quod tribus rationibus maxime probare et confirmare videntur. Primo nanque aiunt quod in antiquis et in emendatis eorum codicibus talis librorum distinctio reperitur; secundo subiungunt quod ab Esdra, commemorato Legis et

Prophetarum interprete, in ordinatione, quam de cunctis hebrei canonis codicibus fecisse traditur, huiusmodi librorum invenitur facta divisio; tertio dicunt quod Hebrei veteres hoc idem traditionibus suis plane aperteque confirmant. [45] Cui quidem opinioni Hieronymus noster adversari ac repugnare atque longe aliter sentire videtur. Nam unum duntaxat librum fuisse opinatur; idque ipsum in ea prefatione, quam in principio sue Psalterii de hebraica veritate in latinum sermonem ad Sophronium traductionis <ponit>, pluribus rationibus asserere et approbare conatur. Quarum prima ac principalissima est celebrata veterum, ut ipse inquit, Hebreorum ac maxime Apostolorum auctoritas, qui semper in Novo Testamento Psalmorum librum et non libros nominant, ubicunque illius oportune meminisse inveniantur; secunda est vetus ipsius operis titulus, qui antiquitus inscribitur Liber Hymnorum. [46] Atque his duabus rationibus suam de unitate libri opinionem asserere et confirmare vel maxime nititur. Quo quidem facto, plura alia in eadem prefatione contenta ad confutationem alterius de pluralitate librorum opinionis convertit et dirigit. Que quidem omnia cum brevitatis tum quoque evitande arrogantie causa omittenda esse duximus, ne forte tantorum litigiorum idonei iudices censoresque fieri velle videremur, si varias utriusque sententie rationes unum in locum colligeremus atque invicem compareremus. Et tamen in translatione nostra vulgatam omnium eruditorum Hebreorum opinionem, ut in cunctis eorum codicibus reperitur, sequi et imitari maluimus. [47] Atque ut ita faceremus, certa quadam vere sincereque interpretationis lege cogebamur, cum ita in ea lingua expresse scriptum comperiremus, e qua in latinum eloquium traducere profitebamur, licet apud grecos, secundum celebratam illam Septuaginta duorum interpretum traductionem, unus duntaxat liber habeatur. Quam quidem opinionem et Hieronymus, ut supradiximus, his verbis in eadem Ad Sophronium prefatione confirmare videtur, ubi ita inquit: «Scio quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum, ut ubicunque apud Septuaginta interpretes scriptum est: genito genito id est *fiat*, *fiat*, finis librorum sit, pro eo quod in hebreo legitur *Amen*, *Amen*. Nos autem Hebreorum auctoritatem secuti et maxime Apostolorum, qui semper in novo

testamento Psalmorum librum nominant, unum volumen asserimus». Ac per hunc modum de primo quod a nobis superius querebatur, hec in presentiarum dixisse sufficiat.

[48] Ad secundum deinde procedentes, dicimus quod David Psalmos versibus et non prosa oratione composuerit. Id ex eo probari vel maxime potest, quod hebreis scriptum litteris carmine et non soluta oratione doctis eruditisque hominibus ostendatur. Apud Grecos quoque a pluribus sacris doctoribus David *poeta* appellatur; quod nisi carminibus scripsisset, profecto nunquam hoc *poete* nomen sortitus fuisse, quod quidem solis carminum poematumque conditoribus tribuebatur servabaturque. Ad hec accedit Hieronymi nostri auctoritas, qui de hac Psalterii compilatione pluribus locis loquens, cum suavitate carminum tum non nullis tam grecis quam latinis et quidem peregregiis poetis in hunc modum atque eiusmodi verbis alicubi conferre et comparare non dubitavit: «David, Synphonides noster, Pindarus et Alceus, Flaccus quoque atque Catullus atque Serenus, Christum lira predicat, et in decacordo Psalterio ab inferis excitat resurgentem».

[49] Tertio de numero Psalmorum querendum restat, in quo quidem non plures nec pauciores etiam quam centumquinquaginta Psalmos in volumine Psalterii integro et non depravato sive hebreo sive greco sive latino contineri profitemur et dicimus. Si vero apud Grecos aut apud Latinos huiusmodi numerus forte variatus ac diversus fuisse reperiatur, certum quoddam manifestumque erratum foret. Atque huiusmodi erroris due duntaxat cause esse fierique possent.

[50] Quarum prima esset quod in greca scilicet atque latina lingua interdum ex uno plures, et versa vice ex pluribus unum psalmum effectum fuisse legimus. Hoc tametsi verum videatur, tale tamen est, ut predictus centumquinquaginta numerus nullatenus exinde variatus fuisse cernatur. Nam si ex uno duos, profecto ex duobus pariter unum factos non ignoramus. Altera forte in quibusdam mendosis falsisque codicibus reperiiri posset.

Etenim si psalmus ille celeberrimus, qui trito ac vulgato verbo incipit «Beati immaculati in via», et reliqua, cum hebraice per distinctos alphabeti characteres in totidem rubra capitula presertim apud Latinos videatur facta distinctio, non tamen diversi psalmi nec esse neque videri debent. Proinde centum quinquaginta duntaxat psalmos esse constat, quos omnes, ut alteri superioris questionis parti suo ordine respondeatur, solus David nequaquam composuisse traditur.

[51] Nam non nulli alii quorundam Psalmorum certi auctores conditoresque extitere; atque illos eorum omnium testamur auctores, quorum nomina in variis titulis exprimuntur: David scilicet et Asaph et Idithum et Filiorum Chore, Eman Ezaraite, Moysi et Salomonis et reliquorum; et licet non nulli alii quorundam, ut diximus, Psalmorum auctores extiterint, libri tamen inscriptio a maiori et digniori parte proprium unius nomen assumpsit atque David solius titolo inscribitur.

[52] Verum cum in plura a nostro proposito minime aliena paulo longius progressi fuisse videamus, non ab re pariter fore existimavimus si, antequam ad diversos sacrarum litterarum interpretes accedamus, de huiusmodi Psalterii Psalmique nominibus pauca quedam in presentiarum recitaverimus. Hoc divinorum hymnorum (sic enim grece inscribitur opus!) propterea tali Psalterii nomine nuncupatum fuisse creditur, quia plerique psalmi ad pulsationem psalterii vocibus concinentibus cantati fuisse perhibentur.

Psalterium enim erat musicum quoddam instrumentum desuper concavum, et decem

duntaxat cordas continebat; cuius quidem instrumenti consonis pulsationibus una cum suavibus diversorum cantum vocibus omnes psalmi secundum varia tempora diversimode canebantur, et, prout erant, diversimode vel cantandi vel sonandi varia nomina sortiri videbantur.

[53] Quatuor preterea modi fuisse traduntur, quibus ad celebrandos psalmos incedebatur: aut enim sola psalterii pulsatione sine ulla humanis vocibus sonabatur, aut symphonii sine fidibus canebatur, aut mixtim sonando canendoque agebatur ac isto modo bifariam fiebat. Nam fidium interdum pulsatio precedebat et vocis modulatio sequebatur, aut versa vice predicta vocis modulatio precedebat et pulsatio sequebatur. Primus modus Psalmus licet improprie appellabatur, secundus Canticum absolute, tertius Canticum Psalmi, quartus Psalmus cantici nuncupabatur; atque secundum has variorum modorum diversitates multiplices quorundam psalmorum tituli plane aperteque cernuntur.

[54] Nunc ad diversas interpretationes parumper accedamus. Plures sacrarum litterarum in grecum eloquium traductiones fuisse constat. De quibus singillatim pauca quedam ad hoc nostrum propositum vel maxime pertinentia disseremus, ut tota res, quoad brevius fieri poterit, clarius et evidentius elucescat. Certa et expressa Eusebii Cesariensis in libro De preparatione evangelica sententia est, ante celeberrimam illam ac famosissimam Septuaginta duorum interpretum traductionem, aliam suo et expresso titulo carentem extitisse. [55] Ad cuius quidem sententie adstructionem, hebrei cuiusdam doctissimi viri auctoritatem in medium lucemque producit, cuius verba in quodam eius libro Ad Philometorem hec fuisse dicit: «Legem nostram in multis Plato secutus est; aperte nanque in pluribus diligenter singula examinasse videtur. Mosayca enim volumina ante Alexandrum, Macedonie regem, eiusque imperium traducta fuere. Unde et plura excerptis, quemadmodum et Pythagoras philosophus ille antea acceperat», et reliqua. Huiusmodi sententiam Eusebius per auctoritatem cuiusdam pythagorici approbare et confirmare videtur, qui nihil aliud esse Platonem quam Moysem attica lingua loquentem scribere ausus est. [56] Quod efficere nequaquam potuisset, cum prisci Greci ob elegantiam dicendi, cuius avidissimi erant, hebrearum litterarum cognitione penitus caruissent. Que quidem lingua veluti barbara quedam et immanis ab omni politiori elegantia longe abhorrere illis presertim temporibus videbatur, quibus grece facundie studia apprime florebant solaque in singulari honore ac precipuo pretio habebantur, nisi alia quedam quam hec predicta Septuaginta duorum iam pridem fuisse facta translatio. [57] Non plures enim quam quadraginta anni inter predictum Alexandrum (ante cuius etatem prima illa, si qua fuit, alia translatio in lucem prodisse fertur) et Ptolemeum cognomine Philadelphum (cuius quidem temporibus hanc ipsam Septuaginta seniorum traductionem factam fuisse constat). Ceterum illa prima, si qua fuit, ante Septuaginta interpretum traductionem, etiamsi priusquam Alexander regnaret facta fuerit, quibus tamen temporibus in lucem venerit incertum est. Hec vero, que dicitur Septuaginta, ante adventum Christi Salvatoris nostri per trecentos quadraginta circiter annos edita fuisse traditur.

[58] De qua quidem traductione, quoniam res maxima est et ad nostrum propositum plurimum pertinere spectareque videtur ac duas diversas et pene inter se contrarias Hieronymi et Augustini, doctissimorum gravissimorumque virorum, opiniones habet,

paulo altius ab origine repetemus. Quod quidem ut pro singulari et precipua divinarum rerum dignitate cum uberius agere tum satius disserere valeamus, ea omnia, que ad hoc nostrum institutum aliquatenus pertinere existimabimus, in sequentem librum oportunius ac convenientius congeremus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS FELICITER

\* \* \*

## [Liber secundus]

IANNOZII MANETTI AD ALFONSUM, CLARISSIMUM ARAGONUM REGEM,  
LIBER SECUNDUS APOLOGETICUS INCIPIT

[1] Post mortem Alexandri, ob rerum a se gestarum magnitudinem cognomento Magni, Macedonie regis, cum sine liberis decederet legitimisque heredibus careret, universum Orientis imperium, quod quasi totum ab eo vivente possidebatur, in varias partes divisum atque distributum plures cum greci tum latini quoque scribunt historici. Nam cum plurimi clari eius duces armis et bellis atque victoriis diutius assueti, admodum prepotentes essent; unusquisque quanto plus poterat, tanto magis sibi imperii arrogabat. [2] Unde in parva temporis intercedine factum est ut Egyptus, viribus occupata, ad Ptholemeum quendam perveniret, qui cognomine Lagi, quoniam Lagi cuiusdam fālius fuerat, appellatus est. Hic fuit Ptholemeus ille qui predictum Alexandrum in Asiaticum bellum magnis exercitibus contendentem secutus, postquam ipsi mortuo in Egypto, ut diximus, successerat, eius gesta grecis litteris mandavit, quemadmodum Arrianus in prefatione librorum, quos de gestis commemorati regis conscripsit, plane aperteque testatur, cum illum et Aristobolum, alterum earundem rerum scriptorem, precipue inter ceteros historicos se imitatum fuisse commemoret.

[3] Hic igitur genuit filium, quem Ptholemeum paterno nomine, Philadelphum vero cognomine nuncupavit, qui profecto ditissimus atque opulentissimus rex fuit, ac preter multa commemorandaque rei militaris facinora, quibus plurimum excelluisse videtur, ad construendas bibliothecas grecisque codicibus undique referciendas (mirum in modum supra quam dici potest!) animum adiecit. Quocirca Aristobolum quendam ac Demetrium Phalereum, duos eruditissimos ac preclarissimos viros, huic tanto ac tam arduo operi magna cum expendendi et erogandi auctoritate facultateque prefecit.

[4] Hic est Demetrius ille, Theophrasti discipulus, qui cum patria pulsus esset iniuria, ad predictum Ptholemeum, cunctorum doctissimorum virorum accommodatum atque honestissimum receptaculum, exul se contulit atque ab eo honorifice susceptus est. Hi duo peregregii huius dignissimi operis prefecti, tantam grecorum voluminum copiam multis bibliothecis Alexandrie et quidem magnis ingentibusque antea constructis pro sua admirabili et pene incredibili diligentia ac immensis infinitisque sumptibus collocarunt, ut ad ducenta diversorum librorum milia (mirabile et incredibile dictu!) recenserentur. [5] De quo quidem cum Ptholemeus perficiendi iam cepti operis avidissimus, predictos bibliothecarum commissarios diligenter percontaretur, responsoque de tanta codicum congerie ac de spe magni futuri incrementi accepto si non modo a Grecis, sed a barbaris etiam ac maxime ab Hebreis nova et inusitata volumina accuratissime eruerentur, avidior effectus, eisdem illis nuper commisit, ut a Iudeis presertim divine legis libros et sacras eorum Scripturas quoquo modo habere recipereque curarent. Sed etiam ipse quo facilius votis suis potiretur, pro regio officio habendi curam assumpsit. [6] Proinde et ad Eleazarum, Onie filium, nobilissimo ac regali genere ortum, siquidem et Iaddus avus et pater et Simon quoque frater maior natu Iudeorum maximi pontifices regesque fuere, tunc temporis principem sacerdotum atque pontificem, pro codicibus sacris bonisque ac fidis

illorum interpretibus utriusque lingue, hebreo scilicet ac grece, peritissimis scripsit. Nec epistolis duntaxat contentus, legatos quoque suos amplis cum mandatis variisque et sumptuosis muneribus ex Alexandria Hierosolimam usque transmisit, quibus inter cetera iniunxit ut commemoratum Eleazarum magna cum reverentia venerarentur atque honorarent observarentque. [7] Illi deinde ita verbis et gestibus honorato regiisque salutationibus atque exhortationibus impartito, tam humiliter sua mandata exponerent, ut quoquo modo ab eo regia postulata reportarent. Que quidem cum legati regis diligentissime simul atque accuratissime coram predicto Eleazaro exposuissent, dici non potest quantum sibi et honores et munera et postulata regia placuerint grataque fuerint. Ita enim placuere grataque fuere, ut primo epistole a rege suscepit gratissime responderet, postulata deinde legatorum libentissime exaudiret ac insuper plures sacrarum Scripturarum suarum codices hilariter iocundeque transmitteret, et demum Septuaginta duos seniores, hebreo et grece lingue peritissimos, viros senos e singulis duodecim tribubus electos, in unum congregaret atque interpretationis faciende gratia ad ipsum regem Alexandriam usque destinaret. [8] Quibus sic in unum congregatis commisit, ut, preter regias venerationes mansuetasque et humiles exhortationes, ipsum sacrosanctum legis et prophetarum opus probe et integre atque fideliter interpretarentur, ut ex suo interpretandi officio vere ac sincere fungerentur, simul atque maiestati regie impensius gratificantur; legati igitur ab Eleazaro cum eiusmodi pontificalibus mandatis abeentes, ad regem Ptholemeum Alexandriam contenderunt. Quos ubi eo applicuerunt, dici non potest quantis rex et quam magnis honoribus eos prosecutus est. [9] Postquam vero paucorum dierum spatio quieverunt, arduum illud et ingens interpretandi opus magnanimitate ac seorsum et singillatim, ut eis a rege iniunctum fuerat, aggressi sunt. Quod a Ptholemeo de industria factum fuisse legimus, ut singuli seorsum interpretarentur, ne qua forte inter interpretandum future traductionis suspicio oriretur. Per hunc igitur modum cum dolo agendi suspicione penitus ablata, non solum ipsa interpretatio integra atque incorrupta merito haberi putarique posse videbatur; sed etiam si forte ab aliquo interprete uspiciam, ut fit, erratum variatumque fuisse, per accuratam quandam cunctarum aliarum interpretationum collationem ab integro undique emendabatur. [10] Singulis igitur cellulis cuique sua separatim assignatis ministrisque et his omnibus, que ad uniuscuiusque victimum necessaria putabantur, abunde subministratis (mirabile profecto ac prorsus incredibile dictu!), non magno quodam plurimorum dierum intervallo tota traductio eodem temporis momento expleta ac perfecta et absoluta fuit, et (quod etiam mirabilius videri debet!) cum hinc inde omnium interpretationum accurata quedam et exacta collatio fieret, profecto non multe et in tam ingenti variorum traductorum numero diverse, sed unica et sola reperta est.

[11] Quod cum humanitus fieri non potuerit, a Spiritu Sancto factum fuisse ii soli aiunt atque asserere et confirmare videntur, qui hanc ipsam, de qua disserimus, interpretationem ita divinitus provenisse contendunt, ut nullus ne unus quidem minimus error reperiri possit et valeat. Si qui vero in aliquibus eorum additamentis et in quibusdam quoque omissionibus et in plerisque etiam alienis interpretationibus forte apparere extareque videntur, eos tales non esse errores neque pro erroribus ullatenus habendos plane aperteque dicunt, cum quicquid eiusmodi evenerit, divinitus a Spiritu Sancto profluxisse

confirmant. [12] Fieri enim potuit, quemadmodum ipsi aiunt, ut postquam hec translatio per ea que supradiximus, Spiritus Sancti favoribus incepta, expleta et absoluta fuerit; quod omnipotens Deus in mentibus illorum interpretum eatenus inspiraret ut sic interpretarentur, veluti in mentibus prophetarum tanto antea inspiraverat ut ita prophetarent. Ad hec accedebat ut, post plura seculorum curricula, Apostoli et Evangeliste ea ipsa interpretatione non nunquam allegationibus suis usi fuisse videantur; quorum profecto neutrum evenisset, si qua errata in illa forte reperirentur. Quod cum ita fuisse dicant, integrum nimirum et incorruptam eam ipsam translationem fuisse esseque constat.

[13] Atque hec omnia pluraque alia commemoratus Eusebius, in eodem De preparatione evangelica libro, his verbis asserere et confirmare videtur, que hoc loco explicande et declarande veritatis gratia non iniuria ponere curavi. Sic enim inquit: «Cum iam Salvatoris nostri tempora viderentur proprius advenire conducebatque saluti maxime omnium gentium, quecumque a prophetis scripta fuerant, intelligere per linguam grecam, quam fere omnes intelligunt, iudaicam scripturam universis proposuit; aut enim post Salvatoris nostri tempora non habuissemus Iudeis ex invidia occultantibus, aut corruptiores nobis dedissent, aut si recte habere potuissemus, in suspicionem traductores facile vocarentur. [14] Salvator ergo noster, qui ut Deus omnia previdebat, optima dispositione usus, Ptholemeo, Egyptiorum regi, traducendorum librorum cupiditatem iniecit; quod Aristeus vir doctus, utpote qui rebus aderat, diligenter conscripsit. Fuit autem traductio facta temporibus secundi Ptholemei, qui Philadelphus vocatur, sed Aristei verba opere pretium est audire. «Demetrius», inquit, «Phalereus in regia bibliotheca constitutus, grandem a rege pecuniam accepit, ut undique ad illam bibliothecam vel emendo vel transcribendo libros congregaret. [15] Meminique a presente rege interrogatum quot iam libri in bibliothecis essent, dixisse: "Plures quam centum milia, sed brevi tempore non erunt fortasse pauciores quam quingenta milia, si non ab universa Grecia solum (quod feci!) verum etiam ab aliis gentibus ac precipue a Iudeis, quorum doctrina perutilis mihi esse videtur, quam plura possumus congregemus". "Et que nam", rex inquit, "causa te detinuit, ne Iudeorum libros, que regio nobis finitima est, aut emeris iam aut transcripseris, presertim cum ad hanc rem tanta tibi prestetur pecunia quantam petieris?". Tum Demetrius: "Traductione opus est", inquit, "Propria enim lingua et diversis utuntur quam Egyptiis caracteribus"» et reliqua eiusmodi.

[16] Quibus quidem inter eos habitis, rex Demetrio precepit ut traducendorum librorum singularem et precipuam curam assummeret. Omnia enim tanta diligentia faciebat, ut res minimas petitionibus atque mandatis aptissime scriptis ageret. Quare ipse quoque cuncta ut gesta sunt, diligentissime conscripsit; atque epistolam quandam de his rebus in hunc modum Philadelpho misit. Sed antequam verba epistole apponam, in numero codicum superius allegato non iniuria vitio librariorum sive grecorum sive latinorum erratum fuisse arbitror, presertim cum apud A. Gellium, sexto Noctium Atticarum, ita scriptum legerimus: [17] «Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendum prebendos primus posuisse dicitur Pysistratus tyramnus. Deinceps studiosius accuratiusque ipsi Athenienses auxerunt; sed omnem illam postea librorum copiam Nerses Athenarum potitus, urbe ipsa preter arcem incensa, abstulit absportavitque in Persas.» Hos «porro libros» diversos «multis post» temporibus «Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est,

referendos Athenas curavit. Ingens postea numerus librorum in Egypto a Ptholemeis regibus vel conquisitus vel confectus est ad milia ferme voluminum septuaginta; sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non sponte neque opera consulta, sed a militibus forte auxiliariis incensa sunt.»

[18] Sed ad Demetrii epistolam parunper redeamus, cuius verba hec sunt: «Regi magno Demetrius S. D. Quoniam precepisti, o rex, quod undecunque possim, in bibliothecam tuam utiles libros congeram, certiorem te facio Iudeorum disciplinas et legis litteras eorum lingua conscriptas utiles mihi quidem videri. Feruntur enim abiecte non nulla translata, tante tamen admirationis, ut integra et divina sola legum sanctio Iudaica videatur. Sic enim etiam Echateus Abderites propter sanctitatem legis nec a portis gentium tactam arbitratur, nec diligenter ab historicis dispositam. Si ergo tibi videtur, o Rex, scribatur ad Pontificem Iudeorum, ut de singulis tribubus seniores viros, legis peritos et probos, sex mittat, ut diligenti examine id eligamus, in quo plures convenient traductores. Ista quippe res digna mihi videtur Maiestate tua. Felix sis perpetuo.»

[19] Quocirca rex iniunxit ut ad Eleazarum, tunc principem sacerdotum, pro hac re suo nomine per predictum Demetrium scriberetur ac multa et quidem pretiosa dona cum omnibus Iudeorum captivis gratis ad eum transmitterentur. Que quidem omnia ut iniunixerat, diligenter accurateque gessit. Exemplum epistole huiusmodi est: «Rex Ptholemeus Eleazaro Pontifici salutem. Non ignoras multos Iudeorum habitare in regione nostra, qui a Hierosolimis Persarum violentia, tempore quo illi regnabant, abstracti fuerunt; quorum cum multi una cum patre nostro in Egyptum ingredierentur, maiori mercede in legionibus conscripti sunt, cunque fideles repperisset, in presidiis collocavit, ut eorum formidine animos Egyptiorum conservaret. [20] Nos etiam postquam regni habenas suscepimus, eos adhuc multo humanius tractantes, plures quam centum milia redemimus ac convenienti mercede eorum dominis deposita gratis liberavimus, ac siquidem impetu multitudinis perperam gestum est, totum correximus atque emendavimus. Putavimus enim Deo Optimo Maximo gratum fore, qui tantum regnum cum pace ac gloria nobis commendavit. Multos etiam florentis etatis volentesque militare cum dignitate aliqua in exercitu nostro constituimus, et nonnullos etiam apud nos admisisimus. Quia igitur volumus et tibi et Iudeis tam presentibus quam futuris gratissimum facere, decrevimus ut lex vestra litteris grecis ab hebraica lingua traducatur, ut vestra quoque volumina cum regiis libris in bibliotheca nostra inveniantur. [21] Recte igitur facies et nostro studio condigne, si viros probos ac seniores peritos legis et lingue grece non ignaros, sex ab unaquaque tribu elegeris. Oportet enim, quando res maxima est, illud eligatur in quo plures convenerint traductores. Hac enim regesta non parvam nos gloriam consecuturos arbitramur. Ac de his rebus latius tecum loquentur Andreas cubicularius et Aristeus, qui et primitias ad vasa et sacrificia in templum portant argenti atque auri pondus non contemnendum. Scribe tu quoque ad nos de quibuscumque volueris. Gratum enim id nobis erit et amicitia nostra dignum, et quamprimum fieri curabimus quodcumque postulaveris. Vale.»

[22] Ad hec Eleazarus sic rescripsit: «Eleazarus Pontifex amico vero Ptholemeo salutem. Si tu et Arxinoe regina et soror et filii vestri valetis, bene est et, ut volumus, fit; ipsi quoque valemus. Magno gaudio affecti sumus, cum per litteras tuas bonam erga Iudeos

voluntatem tuam cognoverimus. Itaque vocato populo tuam epistolam publice legimus, ut scirent quam nam in Deum nostrum habes pietatem; ostendimusque viginti aureas phialas quas misisti, et argenteas triginta et crateras quinque et mensam argenteam ad sacrificandum et ad alia facienda, quibus templum egeret, argenti talenta centum, que Andreas et Aristeus, viri probi et divini ac te digni, abs te nobis tradiderunt, quibus latius diximus que visa sunt. Omnia enim que tibi conferunt, etiamsi preter naturam essent, tui tamen potentis gratia efficere parati sumus.

[23] Nam plurima ac maxima et que oblivisci nunquam poterimus, nostro generi beneficia contulisti. Quare illico pro regina et filiis et amicis tuis Deo sacrificia obtulimus; universusque populus oravit ut cuncta tibi ad votum succendant regnumque tibi cum gloria Dominus, omnium Deus, conservet. Preterea ut divine legis commode ac secure fiat traductio, sex ab unaquaque tribu seniores elegi, quos ad te cum libris destinavi. Recte igitur facies, optime rex, Scriptura exquisitissime traducta, si curaveris ut ad nos viri redeant. Vale.»

[24] Multis deinde hac de re hinc inde dictis explicatisque post iam traductam Scripturam, hec subiungit: «Lectitata igitur examinataque lectione, seniores interpretum ac sacerdotes et multi eorum principes coram rege congregati ac propositis in medium libris magna voce dixerunt: “Quoniam probe ac sancte divina Scriptura traducta est, decens modo est, iustissime rex, ut caveatur ne quis pervertere aliquid audeat”. Quod cum omnes uno consensu approbassent, iussit rex secundum morem suum maledicere. Maledixerunt ergo ut solent, si quis addiderit, subtraxerit aut mutaverit aliquid, rectissime id agentes ut divina scriptura perpetuo inviolata servaretur.

[25] His ita gestis mirabili rex affectus est gaudio, ut lecta sibi universa fuerunt, et admiratus legislatoris prudentiam, ita Demetrio dixit: “Quonam modo fieri potuit, ut nullus neque poetarum neque historicorum de tot tantisque rebus gestis ullam unquam mentionem fecerit?”. Cui Demetrius: “Divina”, inquit, “hec lex est, et a Deo data, ut vides. At idcirco si qui tetigerunt, a Deo percussi, resilierunt, siquidem audivit affirmavitque se audisse a Theopompo quod ceperat non nulla e iudaica Scriptura translata greca oratione ornare; et illico perturbatione quadam et mentis et animi perculsus, magno studio orasse Deum ut revelare dignaretur cuius rei gratia id sibi acciderat, audivisseque per somnium orationis lenocinio venerandam sacre Scripture dignitatem inquinantis talia sibi provenisse”.

[26] “Ego quoque”, ipse inquit, “a Theodecto, tragediarum poeta, accepi quod cum non nulla e iudaica Scriptura ad fabulam quandam transferre vellet, luminibus captus fuerit. Qui quoniam credidit hac de causa id sibi evenisse, magno tempore penitentiam egit. Et tandem sibi visum fuisse restitutum”. Tunc rex magna cum diligentia sanctam Scripturam iudaicam servari iussit.»

Sed de his satis. Patet igitur per ea, que ab Eusebio sumpsimus et paulo superius pene ad verbum recitavimus, hanc ipsam celeberrimam sacrarum Scripturarum traductionem, nulla inter interpretes collatione facta, seorsum et separatim inceptam et absolutam fuisse.

[27] Quod utrum verum fuerit an non me ignorare fateor, presertim cum Hieronymum, virum eruditissimum ac trium clarissimarum linguarum peritissimum, longe aliter sentire manifestissime videam, ceu paulo post latius et uberius declarabitur. [28] Eam tamen,

quecunque fuerit, opinionem ab homericis Iliadis et Odyssee poematibus originem habuisse non iniuria arbitror. Celebrata enim omnium eruditorum grecorum hominum sententia est predicta Homeri poemata per omnes eorum libros grecis titulis rapsodias inscribi: quod quidem nomen in latinum eloquium conversum proprie consutum cantum significare videtur. [29] Nam Homerus oculis captus, eius carmina que in dies componebat, veteri poetarum ritu ad liram publice in propatuloque cantabat. Quod cum per omnes celebratas totius Grecie urbes variis, ut fiebat, temporibus factitasset; hinc inde pro diversitate locorum, ubi poeta ille cecinerat, tales versus dispersi reperiebantur, ac per hunc modum passim in tenebris usque ad Pisistrati, Atheniensium tyramni, viri eruditissimi, tempora iacuerant, qui quidem litterarum utpote doctissimus et in primis carminum amantissimus, ingentem sibi gloriam subtili quodam et acri ingenio in hunc modum parare vendicareque excogitavit. [30] Nam celeberrimis diversorum preconum vocibus per totam pene Greciam enuntiari predicique iussit ut quicunque ad se aliquos Homeri versus afferrent, certa et indubitata premia singulorum pro numero versuum allatorum reportarent. Unde cum promisse mercedes quotidianis delatoribus exhiberentur, factum est ut brevi tempore ingens eorum versuum numerus et non nullorum quoque alienorum qui questus gratia afferebantur, in unum congregarentur. Quod cum fecisset, duos et Septuaginta eruditissimos viros e tota Grecia delegisse atque Athenas convocasse scribitur. Quibus cunctos Homeri versus iam antea collectos singillatim ac seorsum prebuit commisitque ut propositis laboribus atque industrie singularibus premiis quisque privatim pro se, ut sibi satius convenire videbatur, in ordinem compositionemque redigeret. [31] Quocirca per hunc modum delecti viri arduum iniuncte commissionis opus magnanimiter aggressi, ubi singuli quique suum proprium officium diligenter accurateque exolverunt, ad statutum locum et tempus conferendi gratia convenerunt, ac diligentissima quadam atque accuratissima cunctorum operum vicissim collatione habita, in hanc demum omnes uno animo unaque sententia, que nunc extat, ipsorum carminum dispositionem et ordinem convenere, rapsodiamque grece, ut dictum est, de facti nomine cognominavere atque huiusmodi inscriptionem predictis poematibus addiderunt, quam usque ad hec nostra tempora in cunctis priscis novisque codicibus servatam fuisse cernimus legimusque.

[32] Hanc ipsam Grecorum hominum de Homeri poematibus opinionem maiores nostri latine lingue illustratores, in quibus principalis est Cicero, maxime confirmasse videntur. Hic enim in tertio De oratore quodam loco verba hec ponit: «Quis doctior illis eisdem temporibus aut cuius eloquentia litteris illustrior fuisse traditur quam Pisistrati, qui primus Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus? Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut litteris elegantiaque prestaret», quanquam Laertius Diogenes in primo De vita et moribus philosophorum huiusmodi homericorum poematum, ut ita dixerim, resarcitionem Soloni, uni ex septem sapientibus, in Vita eius, magis quam Pisistrato attribuisse videatur.

[33] At si id verum fuit quod superius recitavimus, quemadmodum scriptum legimus, profecto illi quod de Septuaginta duobus commemoratis sacrarum litterarum interpretibus ab Eusebio scribitur, simile quiddam esse videbitur. Ceterum quidnam Hieronymus et Augustinus, duo christiane religionis lumina, de hac ipsa celeberrima Septuaginta

interpretatione senserint, paulo post referemus, si non nulla quasi de industria omissa, prius de predicto Ptholemeo Philadelpho illustrandi nominis sui causa breviter in medium attulerimus.

[34] Hieronymus enim in Explanacione super Danielem de hoc ipso Ptholemeo disserens, sic inquit: «Iste est Ptholemeus Philadelphus secundus rex Egypti, filius Ptholemei superioris, sub quo Septuaginta interpretes Alexandrie Scripturam sanctam in grecum dicuntur vertisse sermonem», «et Eleazaro pontifici multa Hierosolimam et in templum donaria vasa transmisit» ut sacre Scripture interpretationem ab eo impetratam ac deinde absolutam in admirabilem bibliothecam suam recondenteret, cui «bibliothece prefuit Demetrius Phalereus idem apud Grecos orator et philosophus, tanteque potentie fuisse narratur, ut Ptholemeum patrem vinceret. [35] Narrant enim historie habuisse eum peditum ducenta milia; equitum viginti, curruum duo milia»; «elephantos, quos primus adduxit ex Ethiopia, quadringentos; naves longas, quas nunc liburnas vocant, mille quingentas; et alias ad cibaria militum deportanda mille; auri quoque et argenti grande pondus, ita ut de Egypto per singulos annos quatuordecim milia octingenta argenti talenta acciperet, et» totidem «frumenti artabas, que» quidem «mensura tres modios et tertiam modii partem habet; quinques et decies centena milia», et reliqua huiusmodi.

[36] Et tamen ex hac sola et unica sacre Scripture interpretatione, cuius ipse duntaxat auctor extitisse perhibetur, plus glorie quam ex ceteris omnibus preclarissimis eius gestis assecutus est. Nunc ad eam, de qua supradiximus, Hieronymi et Augustini circa huiusmodi interpretationem opinionem parumper accedamus. Augustinus quippe predictam Eusebii Cesariensis sententiam pluribus librorum suorum locis ac presertim decimo octavo De civitate Dei secutus fuisse creditur. Ubi verba hec ponit, que explanande veritatis ac maioris declarationis gratia hoc loco inserere curavi. Inquit enim: [37] «Cum fuerint et alii interpretes, qui ex hebraica lingua in grecam sacra illa eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Simacus et Theodotion; sicut etiam illa est interpretatio, cuius auctor non appareat et ob hoc sine nomine interpretis quinta editio nuncupatur; hanc tamen, que Septuaginta est, “sic recipit Ecclesia, eaque utuntur greci populi christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua ignorant. Ex hac Septuaginta interpretatione etiam in latinam linguam interpretatum est, quod” et “Ecclesie latine tenent; quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus et omnium trium linguarum peritus, qui non ex Greco, sed ex Hebreo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit.

[38] Sed eius tam litteratum laborem quamvis Iudei fateantur esse veracem”, ac “Septuaginta interpretes in multis errasse contendant, tamen Ecclesie Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro” “pontifice ad hoc tantum opus electorum neminem iudicant preferendum, quia etsi non in eis unus apparuisset Spiritus sine dubitatione divinus, sed inter se se verba interpretationis sue Septuaginta docti more hominum contulissent” et, “quod placuisset omnibus, hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi”. “Quisquis profecto alias illarum Scripturarum ex Hebreo in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis Septuaginta interpretibus, aut si non congruere videtur, altitudo prophetica ibi esse credenda est.

[39] Spiritus enim, qui in prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in Septuaginta viris, quando illa interpretati sunt: qui profecto auctoritate divina et aliud dicere potuit tanquam propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret et hoc ipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus dilucesceret et aliquid pretermittere et aliquid addere, ut etiam hinc ostenderetur non humanam fuisse in illo opere servitatem, quam verbis” dicebat “interpres, sed divinam potius potestatem, que mentem replebat et” erigebat “interpretis.

[40] Non nulli” “codices grecos interpretationis Septuaginta ex hebreis codicibus emendandos” curarunt; “nec tamen ausi sunt detrahere, quod Hebrei non habebant et Septuaginta posuerunt, sed tantummodo addiderunt, que in Hebreis inventa, apud Septuaginta non erant, eaque signis quibusdam in stellarum modum factis ad capita eorundem versuum notaverunt, que signa *asteriscos* vocant. Illa vero que non habent Hebrei, habent autem Septuaginta, similiter ad capita versuum iacentibus virgulis, sicut scribuntur *unciae*, signaverunt.

[41] Et multi codices hac notas habentes usquequaque diffusi sunt et Latini. Que autem non pretermissa nec addita, sed aliter dicta sunt sive alium sensum faciant etiam ipsum non abhorrentem, sive alio modo eundem sensum explicare monstrentur”, sive “utrisque codicibus inspectis nequeunt reperiri. Si ergo, ut oportet, nihil aliud intueamur in Scripturis illis nisi quid per homines dixerit Dei Spiritus, quicquid est in hebreis codicibus et non est apud interpretes Septuaginta, noluit ea per istos, sed per illos prophetas Dei Spiritus dicere.

[42] Quicquid vero est apud Septuaginta, in hebreis autem codicibus non est, per istos ea maluit quam per illos idem Spiritus dicere, sic ostendens utrosque” “prophetas. Isto enim modo alia per Esaiam, alia per Hieremiam, alia per alium aliumque prophetam vel aliter per hunc ac per illum dixit, ut voluit”, “unus atque idem Spiritus, sed ut illi precederent prophetando” quia sicut in illis vera et concordantia dicentibus unus patris Spiritus fuit, sic et in istis non secum conferentibus et tamen tanquam uno ore cuncta interpretantibus idem Spiritus unus apparuisset.”

[43] Atque cum hec ipse dixisset, singulare quoddam et admirabile de Iona propheta exemplum his verbis in medium adduxit: «Sed ait aliquis: “Quomodo sciam quid Ionas propheta dixerit Ninivitis, utrum: *Triduum Ninive evertetur*; an: *Quadraginta dies*?”». Quis non viderit “non potuisse utrumque” “dici a propheta, qui missus fuerat terrere comminatione imminentis excidii civitatem? Cui si tertio die fuerat futurus interitus, non utique quadragesimo die; si autem quadragesimo, non utique tertio. Si” igitur “a me queritur, quid horum Ionas dixerit, hoc puto potius quod legitur in Hebreo: Quadraginta dies, et Ninive evertetur. [44] Septuaginta quippe longe posterius interpretati aliud dicere potuerunt, quod tamen ad rem pertineret et in unum eundemque sensum, quamvis sub altera significatione, concurreret, admoneretque lectorem auctoritate utraque non spreta ab historia se se attollere ad ea requirenda, propter que significanda historia ipsa conscripta est. Gesta sunt quippe illa in Ninive civitate, sed aliquid etiam significaverunt, quod modum illius civitatis excedat; sicut est gestum, quod ipse Propheta in ventre ceti triduo fuit, et tamen aliud significavit in profundum inferni triduo futurum, qui Dominus est omnium Prophetarum. [45] Quapropter si per illam civitatem recte accipitur Ecclesia

gentium prophetice figurata, eversa scilicet per penitentiam, ut qualis fuerat iam non esset; hoc quoniam per Christum factum est in Ecclesia gentium, cuius illa” in “Ninive figuram gerebat, sive per quadraginta dies sive per triduum idem ipse significatus est Christus; per quadraginta scilicet, quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem et ascendit in celum; per triduum vero, quia die tertio resurrexit; tanquam lectorem nihil aliud quam historie rerum gestarum inherere cupientem, de somno excitaverint Septuaginta interpretes; iidemque Prophete ad perscrutandam altitudinem prophetie et quoniam modo dixerint: “In quadraginta diebus”“ Christum “quere, in quo et triduum potueris invenire; illud in ascensione, hoc in eius resurrectione reperies”. Propter quod utroque numero significari convenientissime potuit, quorum unum per Ionam prophetam, alterum per Septuaginta interpretum prophetiam, unus tamen atque idem Spiritus dixit.» [46] Quibus quidem, ut supra recitavimus, ad verbum explicatis: «“Longitudinem -inquit- fugio, cum non hec per multa demonstrem, in quibus ab Hebraica veritate putantur Septuaginta interpretes” discordare “et bene intellecti” videntur “esse concordes. Unde etiam ego pro meo modulo vestigia sequens Apostolorum”, qui et ipsi ex utrisque, id est ex Hebreis et Septuaginta, testimonia prophetica posuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina est. [47] A quibus quidem, Eusebio scilicet et Augustino, etsi qui alii fuerunt qui de hac re ita sentirent, ut diximus, Hieronymus usque adeo dissensisse videtur, ut id tanquam incertum quiddam ac falsum pluribus librorum suorum locis plane et aperte refellere et confutare profiteatur. [48] Nam quodam loco, «Nescio - inquit - “quis primus auctor Septuaginta cellulas Alexandrie mendacio suo” extruxit “quibus divisi eadem scriptitarent, cum Aristeus, eiusdem Ptholemei yperapistes, et multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud” est “esse interpretem. Ibi Spiritus ventura predictit; hic eruditio et verborum copia ea, que intelligit, transfert. Nisi forte putandus est Tullius Economicum Xenophontis, et Platonis Protagoram, et Demosthenis Pro Ctesiphonte” orationem afflatus rhetorico spiritu protulisse. Aut aliter de eisdem libris per Septuaginta interpretes, aliter per Apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit, ut quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sunt.»

[49] Multa huiusmodi de industria pretero nimiam longitudinem veritus. Huiusmodi igitur Septuaginta interpretum traductio, quomodounque et qualitercunque, sive seorsum et separatim, sive simul ac coniunctim celebrata fuerit, tanto tamen in honore tantoque pretio primitus habita est, ut paucis post annis totam pene Greciam occupaverit. [50] Neque id temere et absque iustis causis evenisse creditur, cum quia ea tempestate unica et sola ferebatur, tum etiam quia solemniter admodum facta fuerat. Ad hec accedebat et Ptholemei potentissimi regis precipua et singularis dignitas et maxima quoque atque admirabilis illorum interpretum auctoritas, que illis temporibus celeberrima habebatur; quorum nomina litteris non immerito mandari debuerunt, quod utrum de omnibus factum fuerit legisse non memini. [51] Apud Eusebium enim in libro De historia ecclesiastica ita scribitur: «Aristobolus unus e Septuaginta senioribus fuit, qui a Pontificibus ad Ptholemeum regem interpretande divine legis gratia missi fuerant». Ceterum apud Iosephum omnium interpretum nomina in Eleazari ad Ptholemeum epistola expressa fuisse legimus, que et ab eo et ab Eusebio pretermissa et oblivioni tradita et admiramus et

non sine aliquali molestia tolleramus, cum res perpetuis litterarum monumentis digna et priscis annalibus memoranda esset.

[52] Iosephus enim XII Antiquitatum inter cetera verba hec ponit: «Mihi vero non necessarium visum est Septuaginta seniorum ab Eleazaro missorum nomina declarare, licet intimata sub epistola fuissent»; et paulo post inter interpretandum simul contulisse et in Septuaginta diebus inceptam interpretationem consumasse testatur. In quibus duntaxat duobus ab ipso Eusebio discrepasse ac dissensisse constati, cum in ceteris omnibus maxime convenire videantur. [53] Nec post adventum Christi illa eorum tanta et tam magna auctoritas aliqua ex parte diminuta, quin immo vel potius adacta fuisse videtur, cum Evangelistas et Apostolos ea traductione in allegationibus suis non nunquam usos fuisse manifestum sit; atque his de causis per multa tempora sola in maxima quadam estimatione perseveravit, donec aliqui alii interpretes accesserunt, qui quidem cum in predicta seniorum traductione multa superaddita, non nulla omissa pleraque aliter traducta conspicarentur, quarundam aliarum novarum translationum labores variis temporibus assumpserunt.

[54] Eorum primus fuit quidam nomine Aquila Ponticus, qui quingentis circiter annis post Septuaginta illos seniores sub Helio Adriano maxime floruit. Hic cum a principio traduxisset, unica illa sua interpretatione non contentus, secundam quandam aggressus est traductionem, quam et perfecit et absolvit. Triginta postea annorum quoque curriculis, Commodi imperatoris temporibus accessit alter interpres Ephesius Theodotion. Helio deinde Pertinaci Severoque imperitantibus, Simacus tertius in medium apparuit. [55] Ac septem postea annis, Antonio Caracalla imperante, alia, quinta scilicet, editio Hierico reperta est, que quidem sine certo auctore inventa perhibetur. Quinta et *communis* et *vulgata* editio variis nominibus a diversis scriptoribus nuncupatur. Non multis post annis sexta etiam editio sine certo pariter auctore comperta est. Brevi deinde post sub Alexandro, Mamee filio, claruit Origenes, qui predictas inter se adeo diversas interpretationes cernens, illam videlicet Septuaginta diligenter accurateque emendavit, universum opus suis asteri<s>cis obelisque, id est stellis veribusque distinguens. [56] Atque omnes de Hebreo in grecum idioma Hieronymi nostri temporibus extabant. Quas cum inter se plurimum discrepare ex accurata lectione vicissitudinariaque omnium invicem comparatione plane aperteque et luce, ut dicitur, meridiana clarius et sole ipso illustrius cognosceret atque omnes et singulas quasque ab hebraica veritate plurimum dissentire non dubitaret, laborem nove ab integro traductionis assumpsit atque inchoavit, inchoatumque mirabiliter ac divinitus absolvit. [57] Quod opus ita magnanimiter aggressus, in ea in qua nunc legitur integritate per multos annos magnis cum diurnis laboribus maximisque lucubrationibus perfecit, partim ut Iudeis Christianis hominibus divinarum Scripturarum veterum falsitatem obscientibus responderet silentiumque posthac indiceret, partim etiam ut tantam ac tam multiplicem diversarum traductionum varietatem auferret. De qua quidem translatione pauca quedam nequaquam a nostro proposito aliena deinceps breviter referemus, si prius eius vitam et mores parumper attigerimus, ut qualis quantusque fuerit hic solus universalis cunctarum sacrarum Scripturarum veterum et novarum interpres, probe intelligere ac vere cognoscere valeamus.

[58] Hieronymus igitur, patre natus Eusebio, ex opido Stridonis oriundus, quod a Gothis eversum Dalmatie quondam Pannonieque confinium fuit, hic ubi in patria prima litterarum elementa percepit, adolescentie sue tempore discendi gratia Romam, ubi ea tempestate bonarum artium studia apprime florebant, se contulisse perhibetur et dicitur, atque ibi Donati cuiusdam, excellentissimi grammatici, primo discipulus fuit. Paucis post annis sub Victorino, insigni rhetore, in arte oratoria admodum eruditus est, atque inter acquirendum has duas peregregias ac libero dignas grammaticae atque rhetorice disciplinas singularem quandam grecarum litterarum cognitionem adeptus est. [59] Non multo post ibidem presbyter ordinatus, i<m>meno quodam ac pene incredibili discendarum sacrarum Scripturarum amore flagrabat. Quocirca ad Gregorium Nazianzenum virum per ea tempora divinarum litterarum ceterorum omnium prestantissimum, discendi causa Constantinopolim usque contendit. Ubi aliquot annos in ea disciplina diligenter accurateque perseveravit mirabiliterque profecit. Romam inde reversus ac singulari quadam grece latineque lingue eruditione admodum armatus, ad cognoscendum hebreas litteras animum mentemque convertit. [60] Earum quidem accuratam cognitionem non modo utilem, sed etiam necessariam ad perfectam et absolutam sacrarum Scripturarum, quarum, ut diximus, amore exardescerat, intelligentiam in primis fore arbitrabatur. Idque ut ita putaret, duabus precipue rationibus probabiliter adducebatur. Prima erat quedam troporum ac metaphorarum copia, quibus ea lingua vel maxime abundabat, ubi non nulla ingentia divinarum rerum mysteria interdum abstrusa latere videbantur, que quidem in alienam linguam cum tanta ac tam propria illarum sententiarum expressione transferri non poterant.

[61] Ad hanc unam altera accedebat, que illum peritissimum ac santissimum virum multo vehementius angere urgereque debebat. Diverse enim et Septuaginta, ut priorem illam, si qua alia fuit, omittamus, et Aquile et Simachi et Theodotionis et quinte et sexte editionis et Origenee, ut ita dixerim, emendationis interpretationes hinc inde pro varietate locorum diversimode ferebantur. Que quidem ita inter se distabant ac sic ab invicem dissidebant, ut in plerisque pene contrarie viderentur.

[62] Hanc igitur sanctorum Litterarum inter se discrepantiam et quasi contrarietatem, quemadmodum christianum religiosum et sanctum virum in primis decere videbatur, diligenter et accurate conspicatus, pro virili sua tolerare non potuit. Unde eam auferre cupiens, non modo utile, sed etiam et necessarium fore existimavit, si, per novam quandam et integrum de hebreo in latinum eloquium traductionem, omnis sacrarum Scripturarum, quecunque ex diversis traductionibus oriretur ambiguitas, penitus et omnino et usquequa tolleretur. [63] Atque his duabus, ut diximus, causis adductus, ad cognitionem lingue hebree ceteris posthabitis sese convertit. In qua quidem perdiscenda tanta diligentia tantaque cura ac tantis lucubrationibus per multos annos usus fuit, ut licet eius lingue notitia admodum difficillima haberetur et esset, nihilominus magna ex parte cognovit; et ad tollendam predictarum interpretationum diversitatem novam hanc, qua omnes ecclesie latine utuntur, non solum totius veteris ex Hebreo, sed etiam novi ex Greco Testamenti traductionem ab integro inchoavit absolvitque. [64] Quod idcirco preter duas commemoratas causas etiam fecisse videtur, ut illorum temporum et posteriorum suorum Hebreis, manifestam quandam divinarum Scripturarum falsitatem ob tot et tam

diversas interpretationes christianis hominibus obcientibus, magnanimiter simul ac verissime responderet. Hoc quidem tam arduum ac tam difficile et tam asperum traductionis sue opus usque adeo christiano generi presertim latinis hominibus utile, usque adeo necessarium, usque adeo denique ad consecutionem humane salutis saluberrimum non iniuria fuisse arbitror, ut nihil unquam a creatione orbis usque ad hec nostra tempora ab uno solo auctore scriptum fuisse credam. [65] Quod cunctis christianis latinisque populis tantopere profuisse videatur. Nec tamen id, cuius gratia ad interpretandum adductus fuerat, assecutus est. Hebrei nanque post hanc ultimam, de qua loquimur, divinorum librorum interpretationem de falsitate Scripturarum nostrarum adversus Christianos quotidie insultare ac latrare non desinunt; at vero si sui iuris essent, ita ut ea dicere ac facere liceret quecumque vellent; profecto maledictis nostrarum Scripturarum et execrationibus non contenti, cuncta nostratia lacerarent ignique damnarent.

[66] Primo nanque maiores suos imitati atque ideo adversus Christianos infensi, omnes passim uno ordine odio habent. Nobis deinde in sacris Litteris vel maxime invident, quoniam nos eam sacrarum Scripturarum copiam, quibus soli ipsi vel maxime gloriari solebant, cum cetere gentes illas apprime contemnerent, tum grecis interpretationibus tum etiam hac presertim lingua latina ab illis arripiimus ac nobismet ipsis vendicavimus.

[67] Ad hec accedit quod nulli Hebreorum vel certe admodum pauci ullam vel grecarum vel latinarum litterarum cognitionem post Philonem ac Iosephum, duos illos nobiles celebresque Iudeos hebree simul ac grece lingue peritissimos, habuisse videntur; cuius quidem notitia illustrati, ea que aut in grecis aut in latinis interpretationibus, depravata aut corrupta recte traducta fuerant, diiudicare possent. [68] Unde factum est ut ex hac ipsa alienarum litterarum ignoratione non modo ea que recte ac etiam illa que perperam, si qua fuissent, in christianis traductionibus contenta, intelligere nequirent, sed propriam quoque et vernaculam linguam perfecte cognoscere callereque non possent. Fieri enim non potest ut una lingua, presertim regulis canonibusque et normis instituta, sine aliquali vel modica saltem alienorum excellentium idiomatum cognitione ad unguem percipi perfecteque cognosci possit et valeat, ceu in latina lingua manifestissime appetit, quam grecarum litterarum penitus expertes probe nancisci ac sibi ipsis omnino vendicare non possunt.

[69] Quapropter neque de erratis, si qua forte sunt, neque etiam de rectis, cum neque sua optime intelligent neque aliena vel parumper cognoscant, prorsus iudicare nequeunt. Vera est enim illa celebrata Aristotelis sententia, quam primo Ethicorum his verbis expressit: «Unusquisque bene iudicat que cognoscit», et reliqua. Ex qua quidem oppositum non immerito inferri posse videtur, cum contrariorum contraria sint consequentia, ut scilicet quaruncunque rerum ignari homines habeantur, earum ipsarum boni iudices esse non possint.

[70] Suis ergo duntaxat contenti nec aliena querentes, iandiu peregrinis linguis caruere, et propriam quoque ac vernaculam perperam intellexere. Quocirca et poetis et historicis et oratoribus et mathematicis et dialecticis et physicis et moralibus ac metaphysicis privati, certa quadam omnium liberalium artium cognitione penitus ac omnino caruisse videntur. Proinde in crassa ac supina cunctarum rerum ignoratione diutius versati, quasi immunde sues in ceno moribundi iacent. [71] Atque per hunc modum in eorum perfidia velut in sepulchro vivi sepelliuntur ac tante et tam crasse eorum ignorantie et consequentis et

inveterate perfidie cause fuisse videntur illi qui primi traditionum suarum inventores extiterunt. Nam cum acritate ingenii plurimum valerent, Mosaycam legem maxime post adventum Christi, quo quidem tempore predictarum traditionum scriptores vel compilatores potius floruerunt, tandem aliquando ad nihilum recisuram intelligebant, si eorum posteri primo peregrina et aliena per celebratas Grecorum et Latinorum disciplinas percipere ac sibi vendicare potuissent, si deinde hebraicarum litterarum characteres ac documenta alibi quam in sacris codicibus discere intelligereque valerent.

[72] Quod facile evenisset, nisi et primum constitutis asperis adversus quoscunque temerarios transgressores penis ac suppliciis traditionibus suis severe admodum cassisent, et secundum quoque ordinationes puntorum suorum, que loco grecarum vel latinarum vocalium apud eos habentur, ita instituissent, ut in sacris duntaxat codicibus commemorata punta, hoc est vocales sine quibus ullatenus legi ac nequaquam ulla lectio fieri formarique potest, tantummodo reperiantur. [73] Ex quo factum est ut quicunque hebreas litteras neverunt, cum alibi quam in sacris libris ob parentiam puntorum legere non potuerunt, divinarum Scripturarum saltem scioli habeantur et sint. Quapropter cum ex crassa quadam cunctarum rerum ignorantia, tum etiam quia ab infantia et cunabulis sacris litteris, quemadmodum diximus, imbuti et per diversas etates postea progressi erant, falsam Scripturam nostram et impiam fidem arbitrantur. [74] Unde in sua perfidia quotidie obstinatus obdurare videntur, quanquam plura et quidem magna miracula crebro ad astructionem catolice fidei in dies quandam evenisse intellexerint, ac etiam quotidie coram apparere intueantur. Que profecto, nisi mentis oculos clausos obseratosque et, ut expressius dixerim, cecutientes haberent, nimirum quotidianam perfidie sue abolitionem ac certam quandam fidei nostre confirmationem luce, ut dicitur, meridiana clarius soleque ipso illustrius conspicarentur.

[75] Cum igitur Hieronymus tantam diversorum interpretum varietatem primo animadverteret, unde divina sacri eloquii auctoritas in mentibus christianorum hominum aliquatenus debilitari infringique posse videbatur, atque deinde tam perversam ac tam pertinacem hebrea de falsitate sacrarum Scripturarum tam grecarum quam latinarum opinionem intelligeret; utrumque per novam quandam totius Veteris Testamenti traductionem omnino tollere abolereque constituit. [76] Quocirca laborem nove interpretationis assumpsit, eamque per hunc modum magnanimititer assumptam mirabiliter absolvit divinitusque perfecit. Proinde tantam diversorum interpretum multiplicitatem, alterum duorum propositorum assecutus, quasi penitus abolevisse videtur, quod nulla alia preterquam Septuaginta interpretatio apud Grecos, qua sola omnes illi populi adhuc uti videntur, nec apud Latinos usquam reperiatur. Alterum vero de abolitione iudaice adversus nos eorum opinionis cum ob crassam quandam utriusque et grece et latine lingue ignorantiam, tum etiam ob inveteratam in Christianos omnes simultatem, sua vehementi et pertinaci obstinatione conditam, assequi non potuit, licet quantum in eo fuerit, id ipsum sibi vendicare nanciscique conaretur. [77] Et tamen pro maiori Sacre Scripture dignitate hanc suam interpretationem verborum ornamentis parumper exornare curavit et voluit. Unde ab hebraica veritate cum aliter eam ipsam illustrare non posset, interdum recedere coactus est. Sed ceteris omnibus universe traductionis sue impresentiarum pretermisis, ad

interpretationem Psalterii, cuius huiusmodi quinque librorum additamenta huic nostre traductioni non iniuria subiunximus, paulisper accedamus.

[78] Psalterium, quemadmodum ceteros omnes totius Veteris Testamenti codices, a Septuaginta (hec enim opinio communior esse videtur!) ex hebreo in grecum eloquum conversum traditur, licet non defuerint alii et quidem eruditii viri qui ab illis mosaicam duntaxat legem traductam fuisse arbitrantur; ab Aquila deinde, a Theodotione, a Simaco, a quinta deinceps, a sexta denique editione ex hebreo in grecum idioma traductum extitisse confirmant. [79] Sed cunctis aliis traductionibus abolitis, sola Septuaginta seniorum utpote ceteris omnibus prestantior remansit; atque adhuc apud Grecos extare vigereque non dubitatur. Quam quidem Hieronymus cum temporibus suis iam ita prevaluisse videret, ut universos totius pene catolice Ecclesie campos antea preoccupasset, eam ipsam de greco quam de hebreo in latinum sermonem convertere maluit, ne paulo post primitive Ecclesie incunabula nova quedam ac suspitiosa introducere videretur, presertim cum illa vetera huiusmodi essent, ut ob frequentiam diuturni usus ordinaria et quotidiana apparerent. [80] Sed cum non multo post illa ipsa de greco in latinum conversa ab hebraica veritate plurimum discrepare distareque calumniarentur, commemorati Sophronii precibus et obsecrationibus motus, rursus aliam de hebreo in latinum sermonem inchoavit atque absolvit, cuius titulus est Psalterium secundum Hieronymum de hebraica veritate. Quod ipse in Prefatione ad predictum Sophronium his verbis plane aperteque ostendit.

[81] Que idcirco hoc loco ponere curavimus, ut communis pene omnium tam doctorum quam indoctorum hominum, qui aliter putant, opinio de falsitate convincatur: tum ex certa et expressa rei veritate cum pleraque huius translationis partim per additamenta, partim per omissiones, partim denique per alienas conversiones ab hebraica veritate plurimum dissidere videantur; tum etiam ex propria et indubitata predicti Hieronymi attestatione, qui in hac ipsa ad preallegatum Sophronium prefatione, quodam loco, verba hec ponit:

[82] «“Quia nuper cum Hebreo disputans, quedam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti volensque ille te illudere, per sermones pene singulos asserebat, non ita haberi in hebreo ut tu de Septuaginta interpretibus opponebas; studiosissime postulasti ut post Aquilam et Simacum et Theodotionem latino sermone transferrem. Aiebas enim te magis interpretum varietate turbari et amore quo laberis, vel translatione, vel iudicio meo esse contentum. Unde impulsus a te, cui et que” non possum, debeo, rursus me obtrectatorum latratibus tradidi, maluique te vires meas quam voluntatem in amicitia querere», [83] ut supra in primo libro ad aliud propositum recitasse meminimus, et reliqua huiusmodi ad manifestam quandam et expressam huius communis falseque opinionis confutationem latissime prosecutus est. Patet ergo ex his que dicta et explicata sunt, duas ipsius Psalterii esse et quidem celeberrimas Hieronymi interpretationes: alteram scilicet de greco quam Septuaginta duorum fuisse constat, alteram de hebreo in latinum sermonem; [84] licet tertia vulgo circumferatur quam Gallicanam dicunt et apud quosdam in usu habetur, sed unde prodierit quisve auctor fuerit, a plerisque ignoratur et presertim ab illis qui id qualecunque sit, a Hieronymo emanasse contendunt et hoc idem sese scire profitentur, haud intelligentes hanc ipsam Psalterii interpretationem nisi bifariam, alteram e greco, alteram vero ex hebreo in latinum eloquum traductionem presertim ab eodem interprete probabiliter fieri non potuisse, nisi iam non unam, sed duas Psalterii

interpretationes ab eo (instar Aquile, quem primam et secundam totius veteris Testimenti traductionem, ut paulo superius commemoravimus, edidisse tradunt), factas fuisse allegarent.

[85] Quod mihi pluribus de causis non fit verisimile. Primo enim una et quidem integra et fida translatio et ad intelligentiam et ad salutem nostram sufficere videbatur. Hieronymus deinde etsi ita res se haberet, huius duplicis Psalterii interpretationis sue, ceu in aliis eius operibus memoratu dignis semper facere consueverat, alicubi certam quandam et expressam mentionem habuisset. At hec de primo a nobis proposito hactenus dixisse sufficiat.

[86] Nunc ad secundum de differentiis utriusque Psalterii deinceps accedamus. Quantum inter se distent he due celeberrime Psalterii iam crebro commemorate interpretationes (tertia illa Gallicana penitus omissa, cum certum eius auctorem ignoremus, nec Hieronymi opus per ea que superius dicta sunt, iure existimemus), vix excogitari, nedum dici explicarique potest. Cunctis quippe predictarum interpretationum differentiis diversitatibusque diligentissime enumeratis accuratissimeque, ut ita dixerim, recensitis, sex circiter milia numero (mirabile et incredibile dictu!) comperiuntur. [87] Quas quidem si omnes in hunc secundum librum singillatim congereremus, quemadmodum seorsum et separatim alibi annotasse meminimus, profecto totum volumen in nimiam quandam longitudinem prolixitatemque extenderetur ac propterea Maiestati tue inter legendum fastidium nauseamque afferret. Quod nos fugere atque evitare vel maxime cupientes, pleraque de industria omisimus. [88] Aliqua vero et quidem maiora et graviora ex maxima turba et ingentissima silva per singulos quinque libros excerptsimus atque diligenter et accurate hoc tertio quod subsequitur volumine, annotabimus, presertim cum hoc secundum iam ad convenientem magnitudinem creverit.

#### EXPLICIT LIBER SECUNDUS

\* \* \*

## [Liber tertius]

### [Premessa]

IANNOZII MANETTI AD ALFONSUM, CLARISSIMUM AR<AGONUM> REGEM,  
LIBER TERTIUS APOLOGETICUS INCIPIT

[1] Quoniam de multis ac magnis duarum celeberrimarum totius Psalterii interpretationum differentiis ac diversitatibus hoc tertio libro disserere ac tractare constituimus, ut res ipsa planius et apertius cognoscatur, singulari quodam ac precipuo ordine inter disserendum procedemus. In unaquaque enim seria gravique traductione tres duntaxat errores esse reperiri possunt. Nam aut error per aliqua additamenta aut per omissiones aut per alienas interpretationes fieri provenireque potest. A superadditis ergo primo inchoantes, proposito ordine de quibusdam gravioribus breviter prosequemur.

### [De superadditis]

In primo quippe Psalmo superadditum invenimus ‘Non sic’, secundo replicatum. In eodem etiam «Et erit tanquam pulvis, quem proicit ventus a facie terre», superfluum est ‘a facie terre’.

In II «Postula a me et dabo tibi», superadditum ‘tibi’ reperies, quamvis leve quiddam et frivolum videatur. In eodem «Apprehendite disciplinam, et ne pereatis de via iusta», supervacuum est ‘iusta’.

In III «Non est salus in Deo eius», superadditur ‘eius’. In eodem «Tu autem Domine, susceptor meus es», superadditum est ‘es’. In eodem «quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa», supervacuum est ‘sine causa’.

In IV «que dicitis in cordibus vestris», ‘que’ superfluum est. In eodem «A fructu frumenti, vini et olei», supervacuum est ‘olei’.

In V «quoniam irritaverunt te, Domine», supervacuum est ‘Domine’.

In VI nihil abundat.

In VII «et gloriam meam in pulverem deducat», ‘meam’ non habetur in hebreo. In eodem «Iustum adiutorium meum a Domino», ‘Iustum’ superadditur. In eodem «Deus, iudex iustus et fortis et patiens, nunquid irascetur per singulos dies?», omnia hec ‘et fortis et patiens, nunquid’ superaddita cernuntur.

In VIII nihil superadditur.

In IX «et civitates eorum destruxisti», ‘eorum’ superest.

In X «Dixit enim in corde suo», ‘enim’ superfluum est. In eodem «Cuius maledictione os eius plenum est», ‘Cuius’ supervacuum est. In eodem «in occultis ut interficiat innocentem», abundat ‘ut’. In eodem «Dixit enim in corde suo», ‘enim’ superadditur. In eodem «ut tradas eos in manus tuas», vacat ‘eos’. In eodem «ut non apponat ultra magnificare se homo super terram», ‘Ut’ et ‘se’ supersunt.

In XI «iustus autem quid fecit?», ‘autem’ superfluum est. In eodem «Oculi eius in pauperem respiciunt», ‘in pauperem’ supervacuum est.

In XII «Disperdet Dominus universa labia dolosa», ‘universa’ superest. In eodem «ponam in salutari suo, fiducialiter agam in eo», ‘fiducialiter’ superadditur.

In XIII «qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi», totum hoc ‘et psallam nomini Domini altissimi’ affluit.

In XIV «non est usque ad unum», vacat ‘est’. In eodem cuncta que secuntur (mirabile dictu!) superflua sunt, sed longe mirabilius videbitur, cum a Paulo Apostolo in Epistola ad Romanos hec eadem, allegata fuisse cognoverimus:

«Sepulchrum patens guttur eorum,  
linguis suis dolose agebant,  
venenum aspidis sub labiis eorum  
quorum os maledictione et amaritudine plenum est,  
veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.  
Contritio et infelicitas in viis eorum,  
et viam pacis non cognoverunt:  
Non est timor Dei ante oculos eorum  
(Ad Rom., 3, 13-18).

In eodem «qui devorant plebem meam sicut escam panis», ‘sicut escam’ superadditur. In eodem «illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor», superfluum est ‘ubi non erat timor’.

In eodem «exultabit Iacob, et letabitur Israel», ‘et’ superfluum est.

In XV «aut quis requiescat in monte sancto tuo?», ‘Aut’ supervacuum est. In eodem «qui pecuniam suam non dedit ad usuram», ‘Qui’ superest.

In XVI «tu es qui restitues hereditatem meam mihi», ‘es qui’, ‘mihi’, ista superflua sunt.

In eodem «etenim hereditas mea preclara est mihi», ‘mea’ superfluum est. In eodem «insuper et usque ad noctem increpauerunt me renes mei», ‘et’ superadditur.

In XVII «Probasti cor meum et visitasti nocte», ‘et’ superfluum est. In eodem «Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo», ‘autem’ supervacuum est.

In XVIII «Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam», ‘Et’ ac ‘sancto’ superflua sunt. In eodem «et commota sunt, quoniam iratus est eis», ‘Et’ superfluum est. In eodem «Et posuit tenebras latibulum suum», supervacuum est ‘Et’. In eodem «eloquia Domini igne examinata», ‘igne’ abundat. In eodem «et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit in finem», ‘ipsa’ superfluum est. In eodem «liberator mens de inimicis meis iracundis», vacat ‘iracundis’.

In XVIII «Et erunt ut complacent eloquia oris mei», ‘Et’ abundat.

In XX «Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet», ‘omne’ superadditur. In eodem «Domine, salvum fac regem, et exaudi nos», supervacuum est ‘et’.

In XXI «et voluntate labiorum eius non fraudasti eum», superadditur ‘eum’. In eodem «Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi», superfluum est ‘in seculum seculi’. In eodem «Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia que non potuerunt stabilire», abundat ‘stabilire’.

In XXII «Deus, Deus meus, respice in me», superadditur ‘respice in me’. In eodem «Quoniam circundederunt me canes multi», superfluum est ‘multi’. In eodem «Dinumeraverunt omnia ossa mea, ipsi vero consideraverunt me et despicerunt me», supervacua sunt ‘vero’ et primum ‘me’. In eodem «et de manu canis unicam meam»,

abundat ‘et’. In eodem «et, cum clamarem ad eum, exaudivit me», abundat ‘me’. In eodem «et semen meum serviet ipsi», ‘meum’ supervacuum est.

In XXIII nihil abundat.

In XXIV «neque iuravit in dolo proximo suo», superfluum est ‘proximo suo’. In eodem «Hic accipiet benedictionem a Domino», superadditur ‘Hic’. In duobus subsequentibus nihil abundat.

In XXVII «Quoniam abscondit me in tabernaculo suo», supervacuum est ‘suo’. In eodem «Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te», superadduntur et ‘qua’ et ‘ad te’.

In XXVIII «Exaudi, Domine, vocem deprecationis mee, dum oro ad te», abundat ‘Domine’. In eodem «et cum operantibus iniuitatem ne perdas me», superfluum est ‘ne perdas me’.

In XXIX «Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum», totum hoc ‘Afferte Domino, filii Dei’, supervacuum est. In eodem «et commovebit Dominus desertum Cades», ‘Et’ superfluum est.

In XXX «avertisti faciem tuam a me», abundat ‘a me’. In eodem «Ut cantet tibi gloria mea», vacat ‘mea’.

In XXXI «Erubescant impii et deducantur in infernum», abundat ‘et’. In eodem «Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine», affluit ‘Domine’. In eodem «Dilige Dominum, omnes sancti eius, quoniam...», superfluum est ‘quoniam’.

In XXXII «Dixi: Confitebor adversus me [in] iustitiam meam Domino», abundat ‘adversus me’. In eodem «Tu es refugium meum a tribulatione que circundedit me», superfluum est ‘que circundedit me’.

In XXXIII «Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione», secundum ‘ei’ supervacuum est. In eodem «Dominus dissipat consilia gentium, reprobatur autem cogitationes populorum», superfluum est ‘autem’. In eodem «Consilium autem Domini in eternum manet», abundat ‘autem’. In eodem «gigas non salvabitur in multitudine virtutis sue», abundat ‘sue’.

In XXXIV «Timete Dominum, omnes sancti eius», superfluum est ‘omnes’. In eodem «Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos», superabundant ‘iusti’ et ‘eos’. In eodem «Custodit Dominus omnia ossa eorum», supervacuum est ‘Dominus’.

In XXXV «Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur», ‘mihi’ et ‘quidem’ superflua sunt. In eodem «Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam», abundat ‘Et’.

In XXXVI «Iniquitatem locutus est in cubili suo, astitit omni vie non bone», superfluum est ‘omni’. In eodem «Malitiam autem non odivit», supervacuum est ‘autem’.

In XXXVII «iniusti punientur, et semen impiorum peribit», superfluum est ‘Iniusti punientur’. In eodem «Iusti autem hereditabunt terram», supervacuum est ‘autem’. In eodem «Lex Dei eius in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus eius», superfluum est ‘et’. In eodem «Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius», supervacuum est ‘autem’. In eodem «Et transivi, et ecce non erat; et quesivi eum et non est inventus locus eius», superfluum est ‘locus eius’.

In XXXVIII «Miser factus sum et curvatus», supervacuum est ‘et’. In eodem «Inimici autem mei vivunt et conturbati sunt super me», abundat ‘super me’. In eodem «Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis mee», superfluum est ‘Deus’.

In XXXVIII «thesaurizat et ignorat cui congregabit ea», abundat ‘ea’. In eodem «que est expectatio mea? Nonne Dominus? Et substantia mea apud te est», superaddita sunt ‘Nonne’, ‘substantia mea’. In eodem «Remitte mihi ut refrigereret priusquam abeam et amplius non ero», abundat ‘amplius’.

In XL «Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi», vacat ‘autem’. In eodem «Ferant confestim confusionem suam», superfluum est ‘confestim’.

In XLI «Beatus qui intelligit super egenum et pauperem», abundat ‘egenum’. In eodem «egrediebatur foras et loquebatur in id ipsum», superabundat ‘in id ipsum’.

In XLII, qui est primus secundi libri, «quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis», supervacua sunt ‘tabernaculi admirabilis’. In eodem «Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?» abundat secundum ‘quare’.

In XLIII nihil superest.

In XLIII «Tu es ipse, rex meus et Deus meus», supervacua sunt ‘et’ ac ‘meus’ secundum. In eodem «et in nomine tuo aspernemus insurgentes in nos», vacat ‘Et’. In eodem «Nunc autem repulisti et confudisti nos», abundat ‘autem’. In eodem «Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros», abundat ‘nostros’.

In XLV «Speliosus forma pre filiis hominum», superest ‘forma’.

In XLVI «Deus noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus que invenerunt nos nimis», superaddita sunt ‘que’ et ‘nos’. In eodem «Sonuerunt, et turbate sunt aque», vacat ‘et’. In eodem «Conturbate sunt gentes, et conturbata sunt regna», abundat ‘et’. In eodem «Venite et videte opera Domini, que posuit prodigia super terram», vacat ‘et’. In eodem «et scuta comburet igni», abundat ‘Et’. In eodem «Vacate et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, exaltabor in terra», abundat secundum ‘et’.

In XLVII nihil superest.

In XLVIII «Quoniam ecce reges terre congregati sunt, et convenerunt in unum», superfluum est ‘terre’. In eodem «Ponite corda vestra in virtute eius et distribuite domos eius», vacat ‘et’.

In XLVIII «Quique terrigene et filii hominum, simul in unum dives et pauper», abundat ‘in unum’. In eodem «Frater non redimet: redimet homo: et non dabit Deo placationem suam», vacat ‘et’. In eodem «Et sepulchrum eorum domus illorum», abundat ‘et’. In eodem «vocaverunt nomina sua in terris suis», vacat ‘suis’. In eodem «Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis», affluunt ‘insipientibus’ atque ‘et’.

In L «Im~~m~~ola Deo sacrificium laudis», vacat ‘sacrificium’. In eodem «Et invoca me in die tribulationis: et eruam», vacat secundum ‘et’. In eodem «et adversus filium matris tue ponebas scandalum», affluit ‘Et’. In eodem «Hec fecisti, et tacui: existimasti inique quod ero tui similis», abundat ‘inique’.

In LI «Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam», superest ‘magnam’. In eodem «et secundum multitudinem miserationum tuarum», superfluum est ‘et’. In eodem «ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris», vacat ‘et’. In eodem «Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum», abundat ‘enim’. In eodem «Ecce enim veritatem dilexisti», superest ‘enim’. In eodem «Asperges me, Domine, isopo, et mundabor», vacat ‘Domine’. In eodem «Auditui meo dabis gaudium et letitiam, et

exultabunt ossa humiliata», abundat secundum ‘et’. In eodem «Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem», vacat ‘si’. In eodem «Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Syon», superest ‘Domine’. In eodem «tunc imponam super altare tuum vitulos», superfluum est ‘Tunc’.

In LII «Videbunt iusti et timebunt, et super eum ridebunt et dicent», vacat ‘et dicent’.

In LIII «Corrupti sunt et abominabiles facti sunt iniquitatibus suis», superabundat ‘suis’.

In eodem «ut videas si est intelligens aut requirens Deum», vacat ‘aut’. In eodem «Nonne sciunt omnes qui operantur iniquitatem?», abundat ‘omnes’. In eodem «qui devorant plebem meam, ut cibum panis», vacat ‘ut cibum’.

In LIV «Ecce enim Deus adiuvat me, et Dominus susceptor est anime mee», affluit ‘enim’ atque ‘et’. In eodem «Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos», abundat ‘et’. In eodem «Voluntarie sacrificabo tua disperde illos», abundat ‘et’. In eodem «Voluntarie sacrificabo et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est», vacant ‘et’ atque ‘est’. In eodem «et super inimicos meos despexit oculus meus», abundat ‘super’.

In LV «Quoniam, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissest utique», affluunt ‘si’ et ‘utique’. In eodem «et, si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissest me forsitan ab eo», vacat ‘et, si is’ ac ‘forsitan’. In eodem «Ego autem ad Dominum clamavi, et Dominus salvavit me», superest ‘autem’. In eodem «et non dabit in eternum fluctuationem iusto», vacat ‘Et’. In eodem «ego autem sperabo in te, Domine», superest ‘Domine’.

In LX «Ab altitudine Dei timebo, ego vero in te sperabo», vacat ‘Ab altitudine’ et ‘vero’.

In eodem «Inhabitabunt et abscondent», superest ‘et’. In eodem «posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua, Domine», affluunt ‘sicut’ et ‘Domine’.

In LVI «et eripiet animam meam de medio catulorum leonum», vacat ‘Et eripiet’. In eodem «Laqueum paraverunt pedibus meis et incurvaverunt animam meam», abundat ‘et’. In eodem «Exaltare super celos, Deus, et super omnem terram gloria tua», superest ‘est’.

In LVII nihil affluit.

In LVIII «Deus ostendit mihi super inimicos meos», abundat ‘super’. In eodem «quia factus es susceptor meus, et refugium meum», vacat ‘meum’. In eodem «Adiutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus, Deus meus, misericordia mea», affluit secundum ‘meus’.

In LX «Deus, reppulisti nos et destruxisti nos, iratus es et miseratus es nobis», duo ‘et’ superflua sunt. In eodem «Commovisti terram et conturbasti eam», vacat ‘et’.

In LXI nihil superest.

In LXII «Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum», abundat ‘enim’.

In LXIII «Rex vero letabitur in Deo; et laudabuntur», vacat ‘et’.

In LXIV nihil superest.

In LXV «Te decet hymnus, Deus, in Syon, et tibi reddetur votum in Hierusalem», vacat ‘in Hierusalem’. In eodem «Visitasti terram et inhabitasti eam», abundat ‘eam’.

In LXVI «Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine!», superfluum est ‘Domine’. In eodem «Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti quemadmodum examinatur argentum», vacat ‘igne’.

In LXVII «Deus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos; miserere nostri», abundat ‘Miserere nostri’.

In LXVIII «sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei», superest ‘sic’. In eodem «et exultate in conspectu eius. Turbabuntur a facie eius», affluit ‘turbabuntur a facie eius’. In eodem «terra mota est, etenim celi distillaverunt a facie Dei», abundat ‘enim’. In eodem «infirmata est: tu vero perfecisti eam», vacat ‘vero’. In eodem «Dum discernit celestis reges super eam, nive dealbabuntur in Salmon», superfluum est ‘nive’. In eodem «Psallite Deo, qui ascendit super celum celi ad orientem», supervacuum est ‘Psallite Deo’.

In LXVIII «Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aque usque ad animam meam», vacat ‘meam’.

In LXX «Confundantur et revereantur simul qui querunt animam meam», abundat ‘simul’. In LXXI «Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, tu salvum me facies», vacat ‘in Deum protectorem’. In eodem «quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu», abundat primum ‘meum’. In eodem «Confundantur et deficiant detrahentes anime mee», vacat ‘et’.

In LXXII «et permanebit cum sole et ante lunam in generatione generationum», superest ‘et’. In eodem «Et benedicentur in ipso omnes tribus terre», abundat ‘terre’.

In LXXIII (Et est primus tertii libri) «Et dixerunt: Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso», superest ‘si’. In eodem «Quid enim mihi est in celo? et a te quid volui super terram?», ‘enim’ et secundum ‘quid’ superflua sunt. In eodem «ut annuntiem omnes predicationes tuas in portis filie Syon», affluit ‘in portis filie Syon’. In duobus subsequentibus Psalmis nihil supervacaneum est.

In LXXVI «Turbati sunt omnes insipientes corde», superfluum est ‘omnes’.

In LXXVII «In die tribulationis mee Deum exquisivi; manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus», abundat ‘contra eum’. In eodem «Cogitavi dies antiquos, et annos eternos in mente habui», superflua sunt hec omnia ‘et’ atque ‘in mente habui’. In eodem «Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster?», vacat ‘noster’. In eodem «vox tonitrui tui in rota; illuxerunt coruscationes tue orbi terre», abundat ‘tue’.

In LXXVIII «Quanta audivimus et cognovimus ea», vacat ‘ea’. In eodem «Sicut posuit in Egypto signa sua et prodigia eius in campo Taneos», superfluum est ‘et prodigia eius’. In eodem «et iumenta eorum in eorum morte conclusit», abundat ‘Et’. In eodem «Et percussit omne primogenitum in terra Egypti, primitias laborum eorum», vacat ‘eorum’.

In LXXVIII «Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? et innotescat in nationibus coram oculis nostris», abundat ‘Et’.

In LXXX nihil superest.

In LXXXI «Ego enim sum Dominus Deus tuus», abundat ‘enim’.

In LXXXII nihil superest.

In LXXXIII «Qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarii Dei», abundat ‘hereditatem’.

In LXXXIII «Quia misericordiam et veritatem diligit Deus», superfluum est ‘diligit’.

In LXXXV «Misericordia et veritas obviaverunt sibi», vacat ‘sibi’.

In LXXXVI «Iudica me, Domine, in viam tuam, et ingrediar», superest ‘et’.

In LXXXVII nihil abundat.

In LXXXVIII «Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina ad me aurem tuam ad precem meam», superfluum est ‘ad me’. In eodem «Pauper sum ego in laboribus a iuventute mea; exaltatus autem», vacat ‘mea’ atque ‘autem’. In eodem «In me transierunt ire tue, et terrores tui conturbaverunt me», vacat ‘et’.

In LXXXVIII «et exaltavi electum de plebe mea», abundat ‘mea’ atque ‘Et’.

In LXXX, qui est primus quarti libri, «Mane sicut herba transeat; mane floreat et transeat; vespere decidat, induret, et arescat», superflua sunt hec ‘sicut herba’ et secundum ‘mane’ atque ‘induret’. In eodem «Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus: anni tui sicut aranea meditabuntur», supervacua sunt ‘aranea’ et ‘meditabuntur’.

In eodem «Quis novit potestatem ire tue, et pre timore tuo iram tuam dinumerare?», superfluum est ‘dinumerare’.

In XCI «ad te autem non appropinquabit», vacat ‘autem’. In eodem «Quoniam tu es, Domine, spes mea », abundat ‘es’.

In XCII «Quia delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo», vacat ‘et’.

In XCIII nihil abundat.

In XCIII «Effabuntur et loquentur», affluit ‘et’.

In XCV «Preoccupemus faciem eius in confessione, et in psalmis iubilemus ei», vacat ‘et’.

In eodem «quoniam ipsius est mare», abundat ‘quoniam’. In eodem «Quadraginta annis offensus fui generationi illi», vacat ‘illi’.

In XCVI «Cantate Domino et benedicite nomini eius», affluit ‘et’. In eodem «dicite in gentibus, quia Dominus regnavit, etenim correxit orbem», superflua sunt ‘quia’ ac ‘enim’.

In XCVII «Confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulachris suis», abundat ‘suis’.

In XCVIII «in tubis ductilibus et voce tube cornue» superfluum est ‘ductilibus’.

In XCVIII «Et in columna nubis loquebatur ad eos», vacat ‘Et’.

In C nihil abundat.

In CI «Et intelligam in via immaculata: quando venies ad me?», abundat ‘Et’.

In CII «Quia edificavit Dominus Syon et videbitur in gloria sua», vacat ‘et’. In eodem «et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur», abundat ‘Et’. In eodem «tu autem idem ipse es», superest ‘idem ipse’.

In CIII nihil vacat.

In CIII «Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aque», superfluum est ‘aque’. In eodem «Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani quas plantavit», vacat ‘et’. In eodem «Avertente autem te faciem turbabuntur», abundat ‘autem’. In eodem «Emictes spiritum tuum, et creabuntur», vacat ‘et’. In eodem «Iocundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino», superest ‘vero’.

In CV «annuntiate inter gentes studia eius et opera», superabundant ‘studia eius’ ac ‘et’.

In eodem «Cantate ei et psallite», vacat ‘et’. In eodem «Et vocavit famem super terram et omne firmamentum panis contrivit», secundum ‘et’ superfluum est. In eodem «Dixit, et venit cynomia et [s]cinifes in omnibus finibus eorum», abundat ‘et’. In eodem «Et

commedit omne fenum et commedit omnem fructum terre eorum», superest ‘omnem’. In eodem «Expandit nubem in protectionem eorum et ignem, ut luceret eis per noctem», vacat ‘eis’. In eodem «Et eduxit populum suum et electos suos in letitia», supervacuum est ‘et’.

In CVI «Aperta est terra et deglutivit Dathan, et operuit super congregaciones Abiron», affluit ‘super’. In eodem «Et fecerunt vitulum in Oreb», abundat ‘Et’. In eodem «et dicit omnis populus: Fiat, fiat», vacat alterum ‘Fiat’.

In CVII, qui est primus quinti libri, «Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos», superest secundum ‘et’. In eodem «Et eduxit eos de tenebris», abundat ‘Et’. In eodem «Et statuit procellam eorum in auram», superfluum est ‘Et’. In eodem «Effusa est contentio; et errare fecit eos in invio et non in via», vacat primum ‘et’.

In CVIII «Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum», secundum ‘Paratum cor meum’ affluit.

In CVIII nihil superest.

In CX «Iuravit Dominus, et non penitebit eum», vacat ‘eum’.

In CXI «Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo», abundat ‘tibi’.

In duabus subsequentibus nihil affluit.

In CXIII «Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu, Iordanis, quia conversus es retrorsum?», superflua sunt hec ‘Et tu’, ‘quia’. In eodem «Qui convertit petram in stagna aquarum et rupem in fontes aquarum», vacat ‘et’.

In CXV «Num mortui laudabunt te, Domine», abundant ‘te’. In eodem «Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc», vacat ‘hoc’.

In CXVI «Credidi, propter quod locutus sum; ego autem humiliatus sum nimis», abundat ‘autem’.

In CXVII nihil superest.

In CXVIII «Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini», superfluum est ‘et’. In eodem «Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem», superabundant hec omnia ‘dextera Domini fecit virtutem’ in principio posita.

In CXVIII «Utinam dirigantur vie mee ad custodiendas iustificationes tuas!», vacat ‘Utinam’. In eodem «sederunt principes et adversum me loquebantur; servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis», superest ‘autem’. In eodem «Superbi inique agebant usque quaque, a lege autem tua non declinavi», abundat ‘autem’. In eodem «Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus», vacat ‘et’. In eodem «Coagulatum est sicut lac cor meum; ego vero legem tuam meditatus sum», supervacuum est ‘vero’. In eodem «ego autem exercebor in mandatis tuis», abundat ‘autem’. In eodem «Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum super speravi», superest ‘et’.

In eodem «Super omnes doctores meos intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est», vacat ‘est’. In eodem «In iudiciis tuis declinavi, quia tu legem posuisti mihi», supervacuum est ‘legem’.

In quattuor subsequentibus Psalmis nihil superabundat.

In CXXIII «Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel», vacat ‘quia’. In eodem iterum «Nisi quia Dominus erat in nobis», abundat ‘quia’.

In CXXV «Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon: non commovebitur in eternum, qui habitat», affluit ‘Qui’. In eodem «ex hoc nunc et usque in seculum», vacat ‘hoc’.

In quattuor subsequentibus Psalmis nihil superest.

In CXXX «Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine», ‘legem tuam’ et ‘te Domine’ affluunt. In eodem «speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in seculum», supervacuum est ‘hoc’.

In duobus subsequentibus nihil abundat.

In CXXXIII «Sicut unguentum in capite, <quod descendit> in barbam, barbam autem Aaron», supervacuum est ‘autem’.

In CXXXIII «Ecce nunc benedicte Dominum, omnes servi Domini; qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri», omnia hec ‘nunc’, ‘in atriis domus Dei nostri’ superabundant.

In tribus subsequentibus nihil supervacuum est.

In CXXXVIII «et super iram inimicorum suorum», vacat ‘Et’.

In CXXXVIII «Si assumpsero pennas meas diluculo», superest ‘Si’. In eodem «sicut tenebre eius, ita et lumen eius», vacat utrumque ‘eius’. In eodem «et substantia mea in inferioribus terre», superest ‘Et’. In eodem «Dinumerabo eos, et super harenam multiplicabuntur», superfluum est ‘et’.

In CXL «Custodi me, Domine, de manu peccatoris et ab hominibus inquis eripe me», superest ‘et’. In eodem «Domine Domine, virtus salutis mee, obumbrasti super caput meum in die belli», abundat ‘super’.

In eodem «Non tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori», superflua sunt ‘a’ et ‘meo’. In eodem «cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur», vacat utrumque ‘me’ et ‘contra’.

In eodem «Cognovi quia faciet Dominus iudicium inopis et vindictam pauperum», abundat ‘et’. In eodem «Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo», superfluum est ‘et’.

In CXLI «Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo», abundat ‘sicut’. In eodem «Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantie labiis meis», vacant ‘et’ atque ‘circumstantie’. In eodem «oleum autem peccatoris non impinguet caput meum», supervacuum est ‘autem’.

In CXLII «Effundo in conspectu eius orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio», vacat ‘et’. In eodem «In via hac qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi», abundat ‘superbi’.

In CXLIII nihil superest.

In CXLIII «Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prelium, et digitos meos ad bellum», vacat ‘et’. In eodem «Domine, quid est homo, quod innotuisti ei? aut filius hominis, quod reputas eum?», abundat ‘aut’. In eodem «emitte manum tuam de alto, eripe me et libera me de aquis multis et de manu filiorum alienorum», supervacuum est ‘et’. In eodem «Beatum dixerunt populum cui hec sunt», superfluum est ‘dixerunt’.

In CXLV «Fidelis Dominus in omnibus verbis suis; et sanctus in omnibus operibus suis», totus hic versus superabundat, cum nihil hebraice habeatur.

In CXLVI «Exibit spiritus eius et revertetur in terram suam», vacat ‘et’.

In CXLVII «qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat», abundat ‘Qui’ atque ‘et’. In eodem «Magnus Dominus noster et magna virtus eius, et sapientie eius non est numerus», abundat secundum ‘et’. In eodem «Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram», vacat ‘autem’. In eodem «qui producit in montibus fenum et herbam servitum hominum», totum hoc ‘et herbam servitum hominum’ superfluum est. In eodem «Qui posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te», vacat ‘et’.

In eodem «Emittet verbum suum et liquefaciet ea, fluit spiritus eius et fluent aque», abundat ‘et’. In eodem «Non fecit taliter omni nationi et iudicia sua non manifestavit eis», supervacua sunt ‘sua’ et ‘eis’.

In CXLVIII «Laudate eum, sol et luna, laudate eum, omnes stelle et lumina», vacat ultimum ‘et’. In eodem «Quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt», superabundant hec ‘dixit, et facta sunt’ et secundum ‘ipse’.

In CXLVIII «Letetur Israel in eo qui fecit eum, et filii Sion exultent in rege suo», vacat ‘et’. In eodem «Laudent nomen eius in choro et timpano, et psalterio psallant ei», vacat ‘et’ primum. In eodem «Quia beneplacitum est Domino, et exaltabit mansuetos in salutem», abundat ‘et’.

In CL nihil superest.

## De omissis

Cum de superadditis hactenus dixerimus, deinceps de omissis pauca dicamus.

In primo et in secundo nihil omittitur.

In III «Non est salus ipsi in Deo eius», deficit ‘semper’ in fine. In eodem «de monte sancto suo», omittitur ‘semper’ ut ante. In eodem «et super populum tuum benedictio tua», deficit ‘semper’ ut supra.

In IIII «in cubilibus vestris compungimini», omittitur ‘semper’ ut superius.

In V nihil deest.

In VI «quoniam infirmus sum», deficit ‘ego’.

In VII «Consumetur nequitia peccatorum», omittitur, post ‘Consumetur’, ‘queso’.

In VIII «Minuisti eum paulo minus ab angelis», deficit ‘Et’ in principio.

In eodem «gloria et honore», deest ‘Ac’ ut ante.

In VIII «Quoniam fecisti», omittitur in medio ‘tu’. In eodem «in operibus manuum suarum comprehensus est peccator», deficit in fine ‘susurratione continua’. In eodem «sciant gentes quoniam homines sunt», deest in antepenultima ‘ipse’, et in fine ‘semper’.

In undecim subsequentibus Psalmis nihil omittitur.

In XXI «voluntate labiorum eius non fraudasti eum», deficit in fine ‘semper’.

In XXII «Deus, Deus meus», deest post primam dictionem alterum ‘meus’. In eodem «et nocte, et non ad insipientiam mihi», omittitur ‘erit’ in antepenultima.

In six subsequentibus Psalmis nihil deficit.

In XXVIII «in templo eius omnes dicent gloriam», ab initio deest ‘Et’.

In duobus subsequentibus nihil pretermittitur.

In XXXII «conversus sum in erumna mea, dum confringitur spina», deest in fine ‘semper’.

In eodem «et tu remisisti impietatem peccati mei», deficit in fine ‘semper’. In eodem «exultatio mea, erue me a circundantibus me», deest in fine ‘semper’.

In tribus subsequentibus nihil vacare conspicitur.

In XXXVI «Et torrente voluptatis tue potabis eos», in principio deficit ‘De’.

In duobus subsequentibus nihil deesse videmus.

In XXXVIII «veruntamen universa vanitas», deficit in fine ‘semper’. In eodem «Verumtamen conturbabitur omnis homo», deest in fine ‘semper’.

In XL nihil omittitur.

In XLI «Benedictus Dominus, a seculo et usque in seculum. Fiat, fiat, deficit ‘et’ ante ultimum ‘Fiat’.

In XLII, qui est primus secundi libri, «Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum», deficit, post ‘Deum’, in replicatione alterum ‘Deum’.

In XLIII «confitebor tibi in cythara, Deus Deus meus», deest in principio ‘Et’.

In duobus subsequentibus nihil pretermittitur.

In XLVI «Sonuerunt et conturbate sunt aque eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius», deficit in fine ‘semper’. In eodem «Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob», deest in fine ‘semper’. In eodem «Deus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob», deest in fine ‘semper’.

In XLVII «Elegit nobis hereditatem suam; spetiem Iacob quem dilexit», vacat in fine ‘semper’. In eodem «Quoniam rex omnis terre Deus», deficit ‘est’ in antepenultima.

In XLVIII nihil omittitur.

In XLVIII «Hec via illorum scandalum ipsis; et postea in ore suo complacabit», deest in fine ‘semper’. In eodem «cum acceperit me», deficit in fine ‘semper’.

In L «Deus, deorum Dominus, locutus est et vocavit terram ab ortu solis usque ad occasum», deficit in fine ‘suum’. In eodem «Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iusticias meas?», deficit a principio ‘Et’.

In LI «Tibi soli peccavi et malum coram te feci», deest alterum ‘tibi’ post ‘soli’.

In LII «et emigrabit te de tabernaculo tuo», deficit a principio ‘Confringet te’.

In duobus subsequentibus nihil omittitur.

In LV «Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine», deficit in fine ‘semper’. In eodem «Exaudiet Deus et humiliabit illos, qui est ante secula», deest in fine ‘semper’.

In LVI nihil omittitur.

In LVII «Misit de celo et liberavit me, dedit in obprobrium conculcantes me», deficit in fine ‘semper’.

In duobus subsequentibus Psalmis nihil pretermittitur.

In LX «Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis», vacat ‘est’ in antepenultima.

In LXI nihil omittitur.

In LXII «Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant», deficit in principio ‘In’ et in fine ‘semper’. In eodem «Quia ipse Deus meus et salvator meus, adiutor meus: non emigrabo», deficit ‘robur meum’ in antepenultima.

In LXIII «Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo», in medio arithmeticō deficit ‘es tu’. In eodem «Sitivit anima mea; quam multipliciter tibi caro mea», deficit post principium ‘ad te’. In eodem «in terra deserta, in via inaquosa», deficit in medio ‘et’.

In LXIII nihil omittitur.

In LXV «Exaudi nos, Deus», deficit in principio ‘Veneranda cum iustitia’.

In eodem «Turbabuntur gentes», deficit ‘Et’ in principio.

In LXVI «offeram tibi oves cum hircis», deest in fine ‘semper’.

In LXVII «Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes», deficit in fine ‘ipsi’. In eodem «Letentur et exultent gentes, quoniam iudicas populos in equitate, et gentes in terra diriges», vacat in fine ‘eas’ et ‘semper’.

In LXVIII «Terra mota est, et celi distillaverunt a facie Dei Synai», deficit ante ultimam ‘hic est’. In eodem «Benedictus Dominus quotidie! Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum», deficit in fine ‘semper’. In eodem «Regna terre, cantate Deo, psallite Domino», deest in fine ‘semper’.

In duabus subsequentibus Psalmis nihil omittitur.

In LXXI «Introibo in potentias Domini, Domine, memorabor iustitie tue solius», deficit in fine ‘tue’. In eodem «Et usque in senectam et senium, Deus», deest post principium ‘etiam’.

In LXXII «Benedictus Deus Israel, qui facit mirabilia solus», deest in fine ‘ipse’. In eodem «et replebitur maiestate eius omnis terra. Fiat, fiat», deficit ante ultimum ‘Fiat’, ‘et’.

In LXXIII, qui est primus tertii libri, «In labore hominum non sunt», vacat in fine ‘ipsi’.

In LXXIII nihil omittitur.

In LXXV «Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea; ego confirmavi columnas eius», deficit in fine ‘semper’.

In LXXVI «Ibi confregit potentias arcus, scutum, gladium et bellum», deest in fine ‘semper’. In eodem «Cum exurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos corde», deficit in fine ‘semper’.

In LXXVII «Memor fui Dei et delectatus sum, et exercitatus sum et defecit spiritus meus», deest in fine ‘semper’. In eodem «aut obliviscitur misereri Deus? aut continebit in ira sua miserationes suas», deficit in fine ‘semper’. In eodem «Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob et Ioseph», deest in fine ‘semper’.

In LXXVIII «Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio», post ‘meum’ deficit ‘et’.

In LXXVIII «Adiuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui libera nos», deficit, post ‘propter’, ‘causam’.

In LXXX «Exterminavit eam, aper de silva, et singularis ferus depastus est», vacat in fine ‘eam’. In eodem «Deus virtutum, convertere», deficit ‘queso’ post ‘converte’.

In LXXXI «probavi te apud aquam contradictionis», deest in fine ‘semper’.

In LXXXII «Usquequo iudicabitis iniquitatem et faciem peccatorum summis», deficit in fine ‘semper’.

In LXXXIII «Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filiis Loth», vacat in fine ‘semper’.

In LXXXIII «Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe, Deus Iacob», deficit in fine ‘semper’. In eodem «Quia misericordiam et veritatem diligit Deus», deficit ‘Dominus’ ante ‘Deus’.

In LXXXV «Remisisti iniquitatem plebis tue, operuisti omnia peccata eorum», deficit in fine ‘semper’.

In LXXXVI nihil omittitur.

In LXXXVII «Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei», deest in fine ‘semper’. In eodem «Dominus narrabit in scripturis populorum et principium, horum qui fuerunt in ea», deficit in fine ‘semper’.

In LXXXVIII «Super me confirmatus est furor tuus; induxisti super me», deest in fine ‘semper’.

In LXXXVIII «Usque in eternum preparabo semen tuum, et edificabo <in> generationem et generationem fidem tuam», vacat in fine ‘semper’. In eodem «et sicut luna perfecta in eternum, et testis in celo fidelis», deficit in fine ‘semper’. In eodem «Minorasti dies temporis eius, perfudisti eum confusione», deest in fine ‘semper’.

In LXXX, qui est primus quarti libri, «Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a seculo tu es Deus», in antepenultima deficit ‘usque in seculum’. In eodem «et opera manuum nostrarum dirige», deest in fine ‘ipsum’.

In quatuor subsequentibus Psalmis nihil omittitur.

In XCV «venite et adoremus et procidamus ante Dominum», deficit in antepenultima ‘ac genuflectamus’.

In tribus subsequentibus Psalmis nihil omittitur.

In XCIII «Dominus in Syon magnus et excelsus», deficit ‘est’ in fine.

In duobus subsequentibus Psalmis nihil pretermittitur.

In CII «a facie indignationis tue», deficit in principio ‘Et’.

In sequenti Psalmo nihil deest.

In CIII «Omnia a te expectant, ut des eis escam in tempore», in fine deficit ‘suo’.

In duobus subsequentibus nihil pretermittitur.

In CVII, qui est primus quinti libri, et in septem aliis subsequentibus Psalmis nihil deficit.

In CXV «Domus Aaron speravit in Domino; adiutor eorum est», vacat in fine ‘ipse’. In eodem «Qui timent Dominum speraverunt in Domino; adiutor eorum et protector eorum est», deficit, post penultimam, ‘ipse’.

In CXVI «Et nomen Domini invocavi: Domine, libera animam meam», deficit ‘queso’ in medio post ‘invocavi’.

In CXVII nihil omittitur.

In CXVIII «Hec porta Domini, iusti intrabunt per eam», post principium deficit ‘est’.

In CXVIII «Fiat misericordia», deest ‘queso’ post principium. In eodem «Voluntaria oris mei et beneplacita fac, Domine», post penultimam deficit ‘queso’. In eodem «Hereditate acquisivi et testimonia tua in eternum, quia exultatio cordis mei sunt», post penultimam

deficit ‘ipse’. In eodem «Iustus Domine, et rectum iudicium tuum», statim post principium deficit ‘es’.

In duobus subsequentibus nihil omittitur.

In CXXII «Propter fratres meos et proximos meos loquebar pacem de te», in antepenultima deficit ‘queso’.

In duobus subsequentibus Psalmis nihil deest.

In CXXV «Benefac, Domine, bonis et rectis corde», deficit in ultima ‘in’ et in fine ‘eorum’. In eodem «declinantes autem in obligationes, adducet Dominus», vacat in antepenultima ‘sua’ et in penultima ‘eos’.

In CXXVI nihil deficit.

In CXXVII «non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta», vacat ‘cum’ ante ‘inimicis’.

In quatuor subsequentibus Psalmis nihil pretermittitur.

In CXXXII «si dedero somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem», deficit ‘et’ in antepenultima. In eodem «et filie eorum usque in seculum sedebunt super sedem tuam», post principium deest ‘quoque’.

In CXXXIII «Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum», vacat ‘etiam’ in penultima.

In duobus subsequentibus Psalmis nihil omittitur.

In CXXXVI «Qui facit mirabilia magna solus», deficit in fine ‘ipse’.

In duobus subsequentibus nihil deest.

In CXXXVIII «Imperfectum meum viderunt oculi mei, et in libro tuo omnes scribentur», vacat ante ultimam ‘ipsi’.

In CXL «Acuerunt linguas suas sicut serpentes; venenum aspidum sub labiis eorum», deficit in fine ‘semper’.

In duobus subsequentibus nihil omittitur.

In CXVIII «Expandi manus meas ad te; anima <mea> sicut terra sine aqua tibi», vacat in fine ‘semper’.

In CXLIII «Quorum filii sicut novelle plantationes in iuventute sua», post principium deficit ‘nostri’.

In tribus subsequentibus Psalmis nihil omittitur.

In CXLVIII «Iuvenes et virgines, senes cum iunioribus», post ‘et’, deest ‘etiam’.

In CXLVIII nihil deficit.

In CL «omnis spiritus laudet Dominum», vacat in fine ‘laudate Dominum’. Sed ne forte huius tertii voluminis magnitudo ultra accommodatum convenientemque modum extenderetur, de duobus duntaxat a nobis antea propositis in hoc loco hactenus disseruisse sufficiat. Tertium vero de alienis interpretationibus una cum differentibus cuncorum Psalmorum titulis quarto, qui subsequitur libro, non iniuria reservavimus.

## EXPLICIT LIBER TERTIUS

\* \* \*

## [Liber quartus]

### [Premessa]

IANNOZII MANETTI AD ALFONSUM, CLARISSIMUM ARAGONUM REGEM,  
LIBER QUARTUS APOLOGETICUS INCIPIT

[1] Si ordo noster, gloriosissime Princeps, exigere et postulare videtur ut hoc quarto libro de alienis interpretationibus una cum differentibus omnium Psalmorum titulis deinceps agamus, cum de iis que a Septuaginta senioribus partim superaddita, partim vero pretermissa inter interpretandum fuisse cernantur, tertio ad sufficientiam disseruisse meminerimus, a primo Psalmo incipientes, ea que aliene traducta sunt seriatim prosequemur.

### De alienis interpretationibus

In I: ‘in cathedra pestilentie’, *in sede derisorum*; in eodem: ‘meditabitur’, *ratiocinabitur*; in eodem: ‘neque peccatores in concilio iustorum’, *mnneque peccatores in congregatione iustorum*.

In II: ‘Ego autem constitutus sum rex ab eo’, *At ego constitui regem meum*; in eodem: ‘super Syon montem sanctum eius’, *super Syon montem sanctum meum*; in eodem: ‘Reges eos in virga ferrea’, *Confringes eos in virga ferrea*; in eodem: ‘et tanquam vas figuli confringes eos’, *tanquam vas figuli disperges eos*; in eodem: ‘Apprendite disciplinam’, *Osculamini filium*.

In III: ‘Ego dormivi et soporatus sum’, *Ego iacui et obdormivi*; in eodem: ‘quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa’, *Quoniam tu percussisti omnes inimicos meos in maxillam*.

In IIII: ‘Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium semper?’, *Filii hominis usquequo honorem meum ad ignominiam diligitis inaniter, queretis mendacium semper?*

In V: ‘dirige in conspectu tuo’, *dirige ante me*; in eodem: ‘eor eorum vanum est’, *viscera eorum dolosa*; in eodem: ‘linguis suis dolose agebant’, *Lingue eorum blandientur*; in eodem: ‘Domine, ut scuto bone voluntatis tue coronasti nos’, *Domine, ut scuto benignitatis coronabis eum*.

In VI nihil alienum est.

In VII: ‘Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis’, *Domine Deus meus, si feci istud an est iniquitas in manibus meis?* in eodem: ‘Iustum adiutorium meum a Domino, clipeus meus in Deo’: nam ‘iustus’ potius quam ‘iustum’ refertur ad versum superiorem, ubi dicit ‘Deus’, supple postea ‘iustus’.

In VIII nihil alieni est.

In VIII: ‘constitue, Domine, leglatorem super eos’, *Constitue, Domine, timorem eis*.

In X: ‘Despicis in oportunitatibus, in tribulatione?’, *Absconderis in temporibus angustie*; in eodem: ‘auferentur iudicia tua a facie eius’, *excelsa iudicia tua contra eum*; in eodem:

‘et cadet, cum dominatus fuerit pauperum’, *Et concidet viribus suis mendicos*; in eodem: ‘Non requiret’, *Non requires*.

In XI: ‘Transmigra in montem sicut passer’, *Vagamini ad montes vestros <sicut> aves*; in eodem: ‘Quoniam que perfecisti destruxerunt’, *Quoniam retia dispergentur*.

In XII: ‘ponam in salutari suo, fiducialiter agam in eo’, *ponam in salutari, loquetur ei*; in eodem: ‘secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum’, *quando exaltator contentio filiorum hominum*.

In XIII nihil alieni est.

In XIV: ‘Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis’, *Corruperunt et labefactaverunt opera*; in eodem: ‘Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt’, *Omnes abiere, simul convenere*.

In XV: ‘Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus’, *Vilis in conspectu suo et abominatus*; in eodem: ‘Qui iurat proximo suo et non decipit’, *Qui iurat ad perpetrandum, non permittabit*.

In XVI: ‘quoniam bonorum meorum non eges’, *bona mea non sunt super te*; in eodem: ‘tu es qui restituis hereditatem meam mihi’, *Tu sustinebis sortem meam*; in eodem: ‘Funes ceciderunt mihi in preclaris’, *Partes ceciderunt mihi in suavitatibus*.

In XVII nihil alieni est.

In XVIII: ‘et odientes me disperdidisti’, *et, insimulatores meos, disperdam eos*; in eodem: ‘filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt’, *filii alieni inveterascent a claustris suis*.

In XVIII: ‘In omnem terram exivit sonus eorum’, *In universam terram egredietur regula*.

In duabus subsequentibus Psalmis nihil alienum inest.

In XXII: ‘Longe a salute mea verba delictorum meorum’, *Longe a salutari meo verba mugitus mei*; in eodem: ‘et nocte, et non ad insipientiam mihi’, *In nocte nec erit silentium mihi*; in eodem: ‘Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum’, *At tu, domine, ne elongeris robur meum*; in eodem: ‘de cornibus unicornium humilitatem meam’, *Et de cornibus unicornium exaudisti me*.

In XXIII nihil alienum reperitur.

In XXIII: ‘Attollite portas, principes, vestras’, *Attollite, porte, capita vestra*. Et paulo inferius, in replicatione eiusdem versus, similiter.

In XXV nulla est aliena interpretatio.

In XXVI: ‘Lavabo inter innocentes manus meas’, *Lavabo in puritate manus meas*.

In XXVII: ‘in die malorum, protexit me’, *in die mala abscondet me*; in eodem: ‘et mentita est iniqitas sibi’, *et insusurratores iniquitatis*.

In XXVIII nihil alienatur.

In XXVIII: ‘et dilectus quemadmodum filius unicornium’, *et Sirion tanquam filius unicornium*.

In XXX nihil alieni est.

In XXXI: ‘infirmata est in paupertate virtus mea’, *offendit pre culpa virtus mea*; in eodem: ‘quoniam mirificavit mihi misericordiam tuam in civitate munita’, *in civitate obsessa*, in reliquis similiter; in eodem: ‘Ego autem dixi in excessu mentis mee’, *At ego dixi in festinatione mea*; in eodem: ‘Diligite Dominum, omnes sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus’, *Diligite Dominum, omnes sancti sui! Fideles custodit Dominus*.

In XXXII: ‘qui non approximent ad te’, *ne approximent ad te*.

In XXXIII: ‘Diligit misericordiam et iudicium, misericordia Domini plena est terra’,  
*Diligit iustitiam et iudicium, misericordia Domini implevit terram*.

In XXXIII: ‘In Domino laudabitur anima mea’, *In Domino laudabit anima mea*; in eodem: ‘Accedite ad eum et illuminanimi, et facies vestre non confundentur’, *Viderunt et illustrati sunt et facies eorum non confundentur*; in eodem: ‘Divites eguerunt et esurierunt’, *Leunculi eguerunt et esurierunt*.

In XXXV nihil alieni interpretationis est.

In XXXVI: ‘Dixit iniustus, ut [non] delinquat in semet ipso’, *Verbum delicti ad peccatorem intra cor meum*.

In XXXVII: ‘Custodi innocentiam et vide equitatem, quoniam sunt reliquie homini pacifico’, *Observa, o integer, et considera, o recte, quoniam finis hominis est pax*.

In XXXVIII: ‘miser factus sum et curvatus sum usque in finem’, *distortus sum, curvatus sum usque ad summum*.

In XXXVIII nihil alieni est.

In XXXX: ‘et non respexit in vanitates et insanias falsas’, *nec convertit se ad potentes adiutores falsitatis*.

In XXXXI nihil in interpretatione alienum est.

In XXXXII, qui est primus secundi libri: ‘quoniam transibo in congregationem’, *sperabo usque ad domum Dei*; in eodem: ‘in voce exultationis et iubilationis, sonus epulantis’, *in voce exultationis et laudationis cetus tripudiantis*; in eodem: ‘Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum’, *Abyssus abyssum invocat in voce aqueductuum tuorum*; in eodem: ‘omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt’, *Omnis unda tua et fluctus tui super me transierunt*.

In XXXIII: ‘Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?’, *Quare affligeris, anima mea, et quare eiulas super me?*

In XXXXIII: ‘et non fuit multitudo in commutationibus eorum’, *et non multiplicasti in obolis*.

In XXXV: ‘Intende, prospere procede et regna propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua’, *Et spetie tua proficiscere, equita super causam veritatis et humilitatem iustitie, et ostendet tibi venerabilia dextera tua*.

In tribus subsequentibus Psalmis nihil alieni interpretationis reperitur.

In XXXVIII: ‘quoniam terrigene et filii hominum’, *insuper filii hominum filiique virorum*.

In L nihil alieni traductionis est.

In LI: ‘lavabis me, et super nivem dealbabor’, *lavabis me, et supra*: hoc est plusquam *nix*, et non *super nivem dealbabor*.

In LII: ‘Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? Tota die’, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es misericordia Dei? Quolibet die*.

In duobus subsequentibus Psalmis nihil alieni in traductione est.

In LV: ‘Divisi sunt ab ira vultus eius, et appropinquabit cor illi<us>’, *Lubrice fuerunt pinguedines oris sui, et bella cordis sui*; in eodem: ‘Molliti sunt sermones tui super oleum, et ipsi sunt iacula’, *Mollita sunt verba sua super oleum, et ipsa sunt iacula*.

In LVI: ‘Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo’, *Miserere mei, Deus, quia absorbet me homo*; in eodem: ‘In Deo laudabo sermones meos’, *In Deo laudabo sermones eius*; in eodem: ‘Posuisti lachrymas meas in conspectu, sicut et in promissione tua, Domine’, *Tu pones lachrymam meam in utre tuo, iam in recitatione tua*.

In LVII: ‘et in umbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas’, *Donec transeant erumne*, in reliquis similiter; in eodem: ‘Exaltare super celos, Deus, et super omnem terram gloria tua’, *Exalta super celos, Deus, super universam terram gloriam tuam*.

In LVIII: ‘Sicut cera, que fluit, auferetur, supercecidit ignis, et non viderunt solem’, *Quemadmodum lumaca illico abibit, abortivi mulieris, qui non viderunt solem*.

In LVIII: ‘Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes, circuibunt civitatem’, *Convertentur ad vesperam, ululabunt ut canes, circuibunt civitatem*; in eodem: ‘disperge illos in virtute tua et depone eos, protector meus Domine’, *protector noster*, in reliquis prioribus similiter.

In LX: ‘Deus, reppulisti nos et destruxisti nos, iratus es et miseratus es nobis. Deus oblitus est nostri’, *Disperxisti, excanduisti, redire nos facies*; in eodem: ‘Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis’, *Potasti nos vino beneficii*, in reliquis similiter; in eodem: ‘ut liberentur dilecti tui: salvum fac dextera tua et exaudi me’, *ut liberentur dilecti tui, salvet dextera tua, et exaudiet me*; in eodem: ‘Iuda rex meus, Moab olla spei mee’, *Iuda scriba meus, Moab olla lavacri mei*; in eodem: ‘mihi alienigene subditi sunt’, *super me, Philistei, belligerate*.

In LXI nihil alieni in interpretatione est.

In LXII: ‘Nonne Deo subiecta erit anima mea?’, *Profecto ad Deum est expectatio anime mee*; in eodem: ‘Nonne ipse est Deus meus et salutaris meus?’, *Profecto ipse est fortitudo mea et salutare meum*; in eodem: ‘Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere: cucurri in siti’, *Profecto ob sublimitatem suam consultabunt ad repellendum, volent mendacium*; in eodem: ‘Sperate in eo, omnis congregatio populi’, *Sperate in eo in omni tempore*; in eodem: ‘Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris’, *Profecto vanitas filii hominum, falsitas filii virorum in lancibus*.

In LXIII: ‘in terra deserta, in via inaquosa’, *in terra sicca et defessa sine aquis*.

In LXIII: ‘Scrutati sunt iniquitatem, defecerunt scrutantes scrutinio’, *Scrutabuntur iniquitates, perfecerunt scrutinium scrutinium*; in eodem: ‘et exaltabitur Deus. Sagitte parvolorum facte sunt plage eorum’, *Et sagittavit eos Deus sagittam, subito erunt plage eorum*.

In LXV: ‘Te decet, Deus, hymnus in Syon, et tibi reddetur votum in Hierusalem’, *Tibi silentium laus Deo in Syon, et tibi perficietur votum*; in eodem: ‘Exaudi orationem meam’, *Qui exaudis orationem meam*; in eodem: ‘Verba iniquitatum prevaluerunt super nos’, *Verba iniquitatum prevaluerunt supra me*; in eodem: ‘Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius’, *Turbabuntur gentes, sedans fremitum marium, fremitum fluctuum eorum*; in eodem: ‘Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam’, *Visitasti terram et rorasti ac multitudine locupletasti eam*; in eodem: ‘Benedices corone anni benignitatis tue’, *Coronasti annum benignitatis tue*; in eodem: ‘et campi tui replebuntur ubertate’, *et colles tui stillabunt adipem*; in eodem: ‘Induti sicut arietes ovium,

et valles abundabunt frumento; etenim hymnum dicent', *Induantur prata ovibus, et valles cooperiuntur frumento: et exultabunt et cantabunt.*

In LXVI: 'Imposuisti homines super capita nostra', *Induxisti homines ad capita nostra*; in eodem: 'et eduxisti nos in refrigerium', *et eduxisti nos in saturitatem.*

In LXVII nihil aliena interpretationis est.

In LXVIII: 'Deus, qui habitare facit unius moris in domo, qui educit vinctos in fortitudine', *Deus, qui habitare facit solitarios in domo, qui extrabit vinctos in catherinis*; in eodem: 'similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris', *tantum, rebelles habitant in ariditate*; in eodem: 'infirmitate est: tu vero perfecisti eam', *et defessa est, tu vero preparasti eam*; in eodem: 'Rex virtutum dilecti, dilecti et spesie domus dividere spolia', *Reges exercituum vagabuntur et vagabuntur; et habitator domus dividet predam*; in eodem: 'Currus Dei [in] decem milibus multiplex, milia letantium; Dominus in eis in Synai <in> sancto', *Currus Dei in decem milibus militum angelorum: Dominus in se ipsis Synai in sanctuario*; in eodem: 'Prevenerunt principes coniuncti sunt psallentibus, in medio iuvencularum tympanistarum', *Prevenerunt cantores, postea pulsatores, inter puellas tympanizantes*; in eodem: 'Ubi Beniamin adolescentulus in mentis excessu', *Ubi Beniamin parvulus dominabitur eis*; in eodem: 'dissipa gentes que bella volunt', *Dissipavit populos qui bella volunt*; in eodem: 'Psallite Deo, qui ascendit super celum celi ad orientem', *Ei, qui ascendit in celos, celos ab initio*; in eodem: 'Mirabilis Deus in sanctis tuis; Deus Israel ipse dabit virtutem', *Venerabilis Deus in sanctis tuis, et reliqua similiter.*

In LXVIII: 'Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in retributionem et in scandalum', *Et consolationes et offendiculum*; in reliquis similiter se habet usque ad 'retributionem' et 'scandalum'.

In LXX: 'avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge!', *Convertantur in finem verecundie sue, et reliqua huiusmodi.*

In LXXI: 'quoniam non cognovi litteraturam', *quoniam non cognovi comparationem.*

In LXXII: 'Et permanebit cum sole et ante lunam in generatione generationum', *Timebunt te cum sole et ante lunam in generatione generationum*; in eodem: 'Ascendit velut pluvia in vellus', *Descendent sicut pluvie super herbam*; in eodem: 'et replebitur maiestate eius omnis terra. Fiat, fiat', *Et implevit gloria sua universam terram. Amen et amen.*

In LXXIII, qui est primus tertii libri: 'Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis', *Idcirco convertetur populus eius hic, et aque plene sugentur in eis*; in eodem: 'Ecce ipsi peccatores et abundantes', *In seculo obtinuerunt divitias*; in eodem: 'Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum et lavi inter innocentes manus meas', *Tantum vane mandavi cor meum et lavi in munditia palmas meas*; in eodem: 'Si[c] dicebam: Narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi', *Si dixi: Enarrabo, ecce quemadmodum generationem filiorum tuorum reprobavi*; in eodem: 'Veruntamen propter dolos posuisti; deiecisti eos dum allevarentur', *Tantum in lubrica pones eos; deiecisti eos ad desolationes*; in eodem: 'subito defecerunt; perierunt propter iniquitatem suam', *perierunt ob infortunia, in reliquis prioribus similiter*; in eodem: 'Quia inflatum est cor meum, et renes mei commutati sunt', *Quia exasperatum est cor meum, et renes meos evacuavi*; in eodem: 'ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum', *at ego pecus*

*sum, et non cognovi. Belua fui apud te;* in eodem: ‘Quid enim mihi est in celo? et a te quid volui super terram?’, *Quid mihi in celo, et tecum volui in terra?*

In LXXIII: ‘posuerunt signa sua, signa’, *constituerunt signa sua insignia*; in eodem: ‘et non cognoverunt sicut in exitu super summum. Quasi in silva lignorum securibus’, *innotuit ac si afferrentur accessu ad altum in silva lignorum secures*; in eodem: ‘exciderunt ianuas eius, in idipsum in securi et ascia deicerunt eam’, *et nunc sculptilia eius simul in securi et ascia deicerunt*; in eodem: ‘Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis’, *Tu dirupisti in fortitudine tua mare, contrivisti capita draconum super aquis*; in eodem: ‘Tuus est dies et tua est nox, tu fabricatus es auroram et solem’, *Tu fabricatus es lucem et solem*; in reliquis similiter; in eodem: ‘Ne tradas bestiis animas confitentium tibi et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem’, *Ne tradas feris animas turturis tui, vitam pauperum tuorum ne obliviscaris in eternum.*

In LXXV: ‘Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem’, *Ne elevetis in altum cornu vestrum, ne loquamini in collo robusto*; in eodem: ‘et inclinavit ex hoc in hoc; veruntamen fex eius non est exinanita’, *et effusus est ex hoc, tantum feces eius sugent.*

In LXXVI: ‘Et factus est in pace locus eius, et habitatio eius in Syon’, *Et erit in Salem tugurium eius et habitatio eius in Syon*; in eodem: ‘Illuminans tu mirabiliter a montibus eternis’, *Illustris tu magnifice a montibus rapine*; in eodem: ‘Turbati sunt omnes insipientes corde’, *Spoliati sunt robusti corde*; in eodem: ‘Tu terribilis es, et quis resistet tibi?’, *Tu venerabilis es, et quis stabit coram te?*

In LXXVII: ‘Memor fui Dei et delectatus sum, et exercitatus sum’, *Recordabor Dei et conturbabor ac loquar*; in eodem: ‘Anticipaverunt vigilias oculi mei’, *Assumpsi vigilias oculorum meorum*; in eodem: ‘et meditatus sum nocte cum corde meo et exercitabar et scopebam spiritum meum’, *Recordabor psalmodie mee nocte, cum corde meo loquar et inquisivit spiritus meus*; in eodem: ‘Nunquid in eternum proicit Deus?...ut complacentior sit adhuc?’, *Nunquid in eternum obliviousetur Dominus, et non adiciet ad complacendum amplius?* in eodem: ‘Et dixi: Nunc cepi; hec mutatio dextere Excelsi’, *Et dixi: Imbecillitas mea hec est, anni dextere Excelsi*; in eodem: ‘multitudo sonitus aquarum; vocem dederunt nubes’, *Excusserunt aquam nubila, vocem dederunt celi*; in eodem: ‘vox tonitrui tui in rota; illuxerunt corruscationes tue orbi terre’, *Vox tonitrui in rota; illuminaverunt fulgura orbem.*

In LXXVIII: ‘Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio’, *Loquar proverbia antiqua*, in reliquis similiter; in eodem: ‘Filii Effrain intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli’, *Filii Effrain, armati sagittatores arcus, redierunt in die belli*; in eodem: ‘et electos Israel impedivit’, *et electos Israel incurvavit*; in eodem: ‘misit in eos cenomiam’, *transmisit in eos feras omnimas*; in eodem: ‘Edificavit sicut unicornis sanctificium suum in terra, quam fundavit in secula’, *Et condidit quasi sanctuarium suum, quasi terram fundavit illud in seculum.*

In LXXVIII: ‘posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam’, *posuerunt Hierusalem in acervos*; in eodem: ‘quia commederunt Iacob et locum eius desolaverunt’, *quia commederunt Iacob, et habitaculum eius desolaverunt.*

In LXXX: ‘Domine Deus virtutum. Quousque irasceris super orationem servi tui?’, *Domine Deus exercituum, usque quo fumigasti ad orationem populi tui?* in eodem: ‘Vineam de Egypto transtulisti’, *Vitem ex Egypto attulisti*; in eodem: ‘Exterminavit eam, aper de silva, et singularis ferus depastus est eam’, *Vastabit eam, aper de silva, et pulchritudo agri depascet eam.*

In LXXXI: ‘Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Egypti. Linguam quam non noverat audivit’, *Testimonium Joseph posuit eum, cum ipse egredetur de terra Egypti. Labium quod nescivit, audiam;* in eodem: ‘divertit ab oneribus dorsum eius, in cophino servierunt’, *amovi ab onere humerum eius; palme sue ab olla recesserunt;* in eodem: ‘Non erit in te Deus recens, neque adorabis deum alienum’, *Non sit in te Deus alienus, et ne adores Deum peregrinum.*

In LXXXII nihil alienae interpretationis est.

In LXXXIII: ‘Deus, quis similis erit tibi? Ne taceas neque compescaris, Deus’, *Deus, ne taceas tibi, ne sileas et ne quiescas, Deus.*

In LXXXIV: ‘Etenim passer invenit domum, et turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos’, *Insuper avis invenit domum, et hirundo nidum sibi, ubi ponat pullos suos;* in eodem: ‘Etenim benedictionem dabit legis lator’, *benedictionibus quoque amicietur doctor;* in eodem: ‘Quia misericordiam et veritatem diligit Deus’, *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

In LXXXV: ‘et super sanctos suos et in eos qui convertuntur ad cor’, *et ad sanctos suos non revertetur ad stultitiam.*

In LXXXVI nihil alieni in interpretatione reperitur.

In LXXXVII: ‘ecce alienigene et Tyrus et populus Ethiopum, ierunt illic’, *Ecce Palestina et Tyrus cum Ethiopia, iste natus est ibi;* in eodem: ‘Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea’, *Dominus numerabit scribens populos, iste natus est ibi semper.*

In LXXXVIII: ‘Estimatus sum cum descendantibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio’, *Deputatus sum cum descendantibus in puteum, factus sum velut vir invalidus;* in eodem: ‘Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria’, *Elongasti a me amicum et sodalem, noti mei osculati sunt.*

In LXXXVIII: ‘Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum’, *Tu confregisti, ceu vulneratum Egyptum;* in eodem: ‘aquinonem et mare tu creasti’, *Aquilo et meridies, tu creasti ea;* in eodem: ‘Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et beneplacito tuo <extollitur> cornu nostrum’, *Quia gloria fortitudinis eorum <tu es>, et in voluntate tua exaltabis cornu nostrum;* in eodem: ‘quia Domini est assumptio nostra’, *quia Domini est protectio nostra;* in eodem: ‘Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar’, *semel iuravi in sancto meo an David mentiar;* in eodem: ‘et sicut luna perfecta in eternum’, *quasi luna stabilitur in sempiternum;* in eodem: ‘Tu vero reppulisti et despexisti, distulisti Christum tuum’, *Tu autem abscondisti et abominatus es, iratus es cum Christo tuo;* in eodem: ‘Quis est homo qui vivet et non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi’, *Quis est vir vivens et non videbit mortem? Eruet animam suam de manu inferni;* semper in eodem: ‘Ubi sunt misericordie tue antique, Domine, sicut iurasti David in virtute?’, *Ubi sunt misericordie tue prime, Domine? Iurasti David in fide tua.*

In LXXXX, qui est primus quarti libri: ‘quoniam superveniet mansuetudo, et corripiemur’, *quoniam transivimus cito et advolavimus*; in eodem: ‘Quis novit potestatem ire tue, et pre timore tuo iram tuam dinumerare?’, *Quis novit fortitudinem furoris tui, et ceu timor tuus ira tua?* in eodem: ‘Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia’, *Ad computationem dierum nostrorum sic doce, et afferemus cor sapientie*; in eodem: ‘Convertere, Domine; usque quo? et deprecabilis esto super populos tuos’, *Revertere, Domine, usque quo? et propitiare super servis tuis*; in eodem: ‘Repleti sumus mane misericordia tua’, *Satia nos mane misericordia tua*; in eodem: ‘Letati sumus pro diebus’, *Letifica nos ceu dies*.

In LXXXI: ‘Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei celi commorabitur’, *Habitans in abscondito excelsi, in umbra omnipotentis commorabitur*; in eodem: ‘Dicet Domino: Susceptor meus es tu et refugium meum’, *Dicam Domino: Spes mea, fortitudo mea*; in eodem: ‘Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium et a verbo aspero’, *Quia ipse liberabit te de laqueo venantium, de peste confraktionum*; in eodem: ‘In scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabi’; *In ala sua obumbrabit tibi, et sub alis suis sperabis*; in eodem: ‘In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum’, *Super palmis portabunt te, ne quando offendat ad lapidem pes tuus*.

In LXXXII: ‘Et exaltabitur sic unicornis cornu nostrum, et senectus mea in misericordia uberi’, *Et exaltabitur ceu unicornis cornu meum, et senectus mea in oleo recenti*.

In LXXXIII: ‘et precinxit se virtute. Etenim firmavit orbem terre, qui non movebitur’, *Accinctus insuper appendet orbem, qui non movebitur*.

In duobus subsequentibus Psalmis nihil alieni interpretationis invenitur.

In LXXXVI: ‘quoniam omnes dii gentium demonia, Dominus autem celos fecit’, *Omnes enim dii populorum sculptilia, et reliqua eiusmodi*.

In LXXXVII: ‘adorate eum, omnes angeli eius’, *adorent eum omnes dii*; in eodem: ‘quoniam tu, Domine, altissimus super omnem terram’, *Vehementer elatus es super omnes deos*.

In duobus subsequentibus Psalmis nihil alieni interpretationis est.

In C: ‘Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos et non ipsi nos’, *Intelligite quoniam Dominus ipse est Deus, et ipse fecit nos, et nos eius sumus*.

In CI: ‘Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar’, *Detrahentem clanculum proximo suo: hunc necabo*.

In CII: ‘Quia defecerunt sicut fumus dies mei’, *Quoniam consumpti sunt in fumum dies mei*; in eodem: ‘ut audiret gemitum compeditorum, ut solveret filios interemtorum’, *Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios mortis*.

In CIII nihil alieni in interpretatione est.

In CIV: ‘Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani quas plantavit’, *Saturabuntur ligna Domini, et reliqua similiter*; in eodem: ‘Illic passeres nidificabunt; herodii domus dux est eorum’, *Quod illic aves nidificabunt; ciconie abietes domus eius*.

In CV: ‘Ut erudiret principes eius sicut semet ipsum’, *Ut vinciret principes suos secundum mentem eius*; in eodem: ‘Dixit, et venit cynomia et [s]cyniphas in omnibus finibus eorum’, *Dixit, et venit fera omnimoda, pediculi in omnes terminos eorum*.

In CVI: ‘et multiplicata est in eis ruina’, *et confregit eos pestis*; in eodem: ‘Et stetit Finees et placavit, et cessavit quassatio’, *Stetit autem Finees et diiudicavit, et est retenta pestis*.

In CVII, qui est primus quinti libri: ‘Misit verbum suum et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum’, *Et eruit de sepulchro ipsorum*; in reliquis prioribus similiter; in eodem: ‘Et seminaverunt agros et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis’, *Et fecerunt fructum annone*, in reliquis eodem modo.

In CVIII: ‘mihi alienigene amici facti sunt’, *Super Palestinam iubilabo*.

In CVIII: ‘in memoriam redeat iniquitas patrum eius’, *Memoretur iniquitas patrum eius*.

In CX: ‘Tecum principium in die virtutis tue’, *Populus tuus liberaliter in die exercitus tui*; in eodem: ‘in splendoribus sanctorum; ex utero ante luciferum genui te’, *in splendoribus sanctuarii; de vulva orietur tibi ros adolescentie tue*; in eodem: ‘Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum’, *Iudicabit in gentibus referctis cadaveribus, percutiet capita in terra multa*.

In tribus subsequentibus Psalmis nihil aliena traductionis est.

In CXIII: ‘facta est Iudea sanctificatio eius, Israel potestas eius’ *Factus, est Iudas in sanctificatione eius, Israel potestas eius*; in eodem: ‘Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium’, *Montes subsilierunt quasi arietes, colles quasi filii ovium*; in eodem: ‘Montes, exultastis sicut arietes? et, colles, sicut agni ovium?’, *Quid, montes, subsiluistis ceu arietes, colles, quasi filii ovium?*

In CXV: ‘Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum’, *Nec mortui laudabunt Dominum, nec omnes descendentes in taciturnitatem*.

In tribus subsequentibus Psalmis nihil aliena traductionis ostenditur.

In CXVIII: ‘Superbi inique agebant usque quaque’, *Superbi deriserunt me usque multum*; in eodem: ‘Super inimicos meos prudentem me fecisti’, *Supra inimicos meos instrues me*; in eodem: ‘Super omnes docentes me intellexi’, *Supra omnes doctores meos eruditus fui*; in eodem: ‘Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Super mel ori meo’, *Quam dulcia sunt palato meo eloquia tua! Supra mel ori meo*; in eodem: ‘Humiliatus sum usque quaque; Domine’, *Afflictus sum usque multum, Domine*; in eodem: ‘Iniquos odio habui’, *Curas odivi*; in eodem: ‘Adiutor et susceptor meus es tu, et in verbum tuum supersperavi’, *Protectio mea et scutum meum tu es, verbum tuum expectavi*; in eodem: ‘Confige timore tuo carnes meas’, *Horripilavit a terrore tuo caro mea*; in eodem: ‘Tempus faciendi, Domine; dissipaverunt legem tuam’, *Tempus est faciendi pro Domino; prevaricati sunt legem tuam*; in eodem: ‘Ideo dilexi mandata tua super aurum et topatum’, *supra aurum et topatum, reliqua priora similiter se habent*; in eodem: ‘Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis’, *Ostium verborum tuorum dilucidat, et erudit ignavos*; in eodem: ‘Os meum aperui et attraxi <spiritum>, quia mandata tua desiderabam’, *Os meum aperui et suxi <auram>, quia mandata tua concupivi*; in eodem: ‘Tabescere me fecit zelus meus, quia oblitus sum verba tua’, *Consumpsit me zelus meus, quia obliiti sunt verborum tuorum hostes mei*; in eodem: ‘Preveni in maturitate et clamavi <quia>, in verba tua supersperavi’, *Surrexi in tenebris et clamavi verba tua expectans*; in eodem: ‘Erravi sicut ovis que periit’, *Erravi quasi agnus perditus*.

In CXX: ‘Sagitte potentis acute cum carbonibus desolatoriis’, *Sagitte potentis acute cum carbonibus iuniperorum*.

In CXXI: ‘Per diem sol non uret, neque luna per noctem’, *Per diem sol non percutiet te, neque luna per noctem.*

In CXXII: ‘Hierusalem, que edificatur ut civitas, cuius participatio eius in id ipsum’, *Hierusalem edificata ut civitas, que colligata est sibi simul*; in eodem: ‘Rogate que ad pacem sunt Hierusalem et abundantia diligentibus te’, *Petite pacem Hierusalem, pacificantur dilectores tui*; in eodem: ‘Fiat pax in virtute tua et abundantia in turribus tuis’, *Sit pax in muris tuis, pax in palatiis tuis.*

In CXXIII: ‘quia multum repleta est anima nostra, obprobrium abundantibus et despectio superbis’, *Multum satiata est sibi anima nostra obprobrio requiescentium, despectione superborum.*

In CXXIII: ‘forsitan pertransisset anima nostra aquam intollerabilem’, *tunc transissent super animam nostram aque superbe.*

In CXXV nihil alienae interpretationis est.

In CXXVI: ‘In convertendo Dominus captivitatem Syon, facti sumus sicut consolati’, *Cum converterit Dominus captivitatem Syon, facti sumus ceu somniantes*; in eodem: ‘Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in austro’, *Converte, Domine, captivitatem nostram ceu rivos in austrum.*

In duabus subsequentibus Psalmis nihil alienae traductionis est.

In CXXVIII: ‘Supra dorsum meum fabricaverunt fabricatores, prolongaverunt iniquitatem suam’, *Super dorsum meum araverunt aratores, prolongaverunt sulcum suum.*

In CXXX: ‘Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine’, *Quoniam tecum est propitiatio, unde venerandus es*; in eodem: ‘anima mea in Domino. A custodia matutina usque ad noctem’, *anima mea ad Dominum supra custodes ad dilucula, custodes ad dilucula.*

In CXXXI: ‘neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me’, *et non ambulavi in magnis et in mirabilibus supra me*; in eodem: ‘Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam’, *Si non proposui et silere feci animam meam*; in eodem: ‘sicut ablactatus super matrem suam, ita retributio in anima’, *Quasi ablactatus super matrem suam. Quasi ablactatus super me anima mea.*

In CXXXII: ‘Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis eius’, *Memento, Domine, David et omnis afflictionis sue*; in eodem: ‘Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam’, *Iuravit Dominus David veritatem, non recedet ab ea*; in eodem: ‘Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus’, *Commeatus eius benedicens benedicam*, et in aliis similiter; in eodem: ‘Illuc perducam cornu David’, *Ibi florere faciam cornu David*; in eodem: ‘inimicos induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea’, *Inimicos eius induam pudore, et super ipsum florebit corona eius.*

In duabus subsequentibus Psalmis nihil alienum reperitur.

In CXXXV: ‘quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessione sibi’, *Quia Iacob elegit sibi Dominus, Israel in peculium suum*; in eodem: ‘qui producit ventos de thesauris suis’, *extrahens ventum de muniminibus.*

In CXXXVI: ‘Qui firmavit terram super aquas’, *Qui extendit terras super aquas*; in eodem: ‘et solem in potestate diei’, *Et solem ut presit diei*; in eodem: ‘et excussit Pharaonem in mari Rubro’, *Et convolvit Pharaonem et exercitum ipsius in mari Rubro*.

In CXXXVII: ‘si non proposuero Hierusalem in principio letitie mee’, *Si non extulero Hierusalem super caput letitie mee*.

In CXXXVIII nihil alieni est.

In CXXXVIII: ‘novissima et antiqua; tu formasti’, *retrorsum et ante formasti me*; in eodem: ‘Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam’, *Abscondita est scientia a me, excelsa est: non potero ad eam*; in eodem: ‘Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua’, *Confitebor tibi, quoniam ob venerabilia admiratus fui de admirabilibus operibus tuis*; in eodem: ‘Imperfectum meum viderunt oculi tui’, *Informem me viderunt oculi tui*; in eodem: ‘Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus’, *Mihi autem quam pretiose facte sunt cogitationes tue, Deus*; in eodem: ‘nimis confortatus: est principatus eorum’, *quam adauctus est numerus eorum*; in eodem: ‘quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate civitates suas’, *qui exaltant te cum impudentia, extulerunt falso adversarii tui*; in eodem: ‘Perfecto odio oderam illos’, *Supremo odio oderam eos*; in eodem: ‘Proba me, Deus, et scito cor meum; interroga me et cognosce semitas meas’, *Scrutare me, Deus, et cognosce cor meum. Discerne me, et scito cogitationes meas*.

In CXXXX: ‘Vir linguosus non dirigetur in terra’, *Vir linguosus non confirmabitur in terra*; in eodem: ‘virum iniustum mala capient in interitu’, *virum iniquum, malum illaqueabit eum ad impulsiones*; in eodem: ‘Cognovi quia faciet Dominus iudicium inopis et vindictam pauperum’, *Novi quod faciet Dominus causam inopis, iudicia pauperum*.

In CXLI: ‘Ne declines cor meum in verba malitie, ad excusandas excusationes in peccato’, *Ne declines cor meum in verbum malum, ad causandum causas in impietate*; in eodem: ‘cum hominibus operantibus iniquitatem, et non communicabo cum electis eorum’, *cum hominibus operantibus iniquitatem non epulabor in delitiis eorum*; in eodem: ‘oleum autem peccatoris non impinguet caput meum’, *oleum capitum non infringat caput meum*; in eodem: ‘audient verba mea, quoniam potuerunt’, *audiant verba mea, quoniam dulcescentia fuere*; in eodem: ‘Sicut crassitudo terre erupta est super terram’, *Ceu incisor et divisor in terra*; in eodem: ‘dissipata sunt ossa nostra secus infernum’, *dissipata sunt ossa nostra in ore inferni*; in eodem: ‘Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego donec transeam’, *Incident in rete eius simul, ego semper transibo*.

In CXXXXII: ‘In defiendo ex me spiritum meum, et cognovisti semitas meas’, *Cum anxius in me fuerit spiritus meus, tu nosti callem meum*; in eodem: ‘Considerabam ad dexteram et videbam, et non erat qui cognosceret me’, *Respice ad dexteram et vide, quia non est, qui cognoscat me*; in eodem: ‘Libera me a consequentibus me, quia confortati sunt super me’, *Libera me a persecutoribus meis, quia corroborati sunt supra me*; in eodem: ‘me expectant iusti donec retribuas mihi’, *Me coronabunt iusti, tu retribueris mihi*.

In CXLIII: ‘et in misericordia tua disperdes inimicos meos, et perdes omnes qui tribulant animam meam’, *Et in misericordia tua dissipabis inimicos meos, et perdes omnes opprimentes animam meam*.

In CXLV: ‘filie eorum composite sunt, circunornate sicut similitudo templi’, *Filie nostre quasi anguli ornati ad similitudinem templi*; in eodem: ‘promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud’, *Anguli pleni egrediuntur ex angulo in angulum*; in eodem: ‘oves eorum fetose, abundantes in gressibus suis’, *Oves nostre, in milibus et decem milia in areis nostris*.

In CXLV: ‘ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam’, *Ut notificant filiis hominum potentias suas*; in eodem: ‘et gloriam magnificentie regni tui’, *et gloriam decoris regni sui*; in eodem: ‘aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione’, *Aperias tu manus tuas et satures omne animal complacentia*.

In CXLVI nihil alienae interpretationis est.

In CXLVII: ‘Non fecit taliter omni nationi et iudicia sua non manifestavit eis’, *Non fecit sic omni genti, et iudicia sua non cognoscent*.

In tribus reliquis nihil alienae traductionis reperitur.

### De diversis Psalmorum titulis

Cum igitur de alienis interpretationibus in hoc quarto libro superius ad sufficientiam dixisse videamur, reliquum est ut secundum propositum ordinem de diversis cunctorum Psalmorum titulis in calce eius parumper prosequamur. Primus itaque Psalmus cum loco prefationis totius voluminis habeatur, non iniuria omni titulo caruisse traditur. Secundus pro titulo habet «*Psalmus David*», qui apud Hebreos non reperitur.

In III nulla inter titulos differentia est.

In IIII: ‘In finem, in carminibus. *Psalmus David*’, Victori. In organis. *Psalmus David*.

In V: ‘In finem, pro ea que consequitur hereditate’, Victori. In sonitibus. Neailoth. *Psalmus David*.

In VI: ‘In finem, *Psalmus David*, pro octava’, Victori. In organis, super instrumentum octave. *Psalmus David*.

In VII: ‘In finem. *Psalmus David*, quem cantavit pro verbis Chusi filii gemini’, Sonitus Scigaion David, quem cantavit Domino ob causas Chusi Beniamin.

In VIII: ‘In finem. *Psalmus David*, pro torcularibus’, Victori. Super sonitum Aghithit. *Psalmus David*.

In VIII: ‘In finem, pro occultis filii. *Psalmus David*’, Victori, super mortem Laben. *Psalmus David*.

In X licet apud Septuaginta non sit Psalmus separatus, est tamen apud Hebreos seorsum distinctus, et titulo caret.

In XI: ‘In finem. *Psalmus David*’, Victori. David.

In XII: ‘In finem. *Psalmus David*. Pro octava’, Victori, super instrumentum octave. *Psalmus David*.

In XIII: ‘In finem. *Psalmus David*’, Victori. *Psalmus David*.

In XIV: ‘In finem. *Psalmus David*’, Victori. David.

In XV nulla est differentia, cum utrobique inscribatur «*Psalmus David*».

In XVI: ‘Tituli inscriptio ipsi David’, Sonitus. Mictam. David.

In XVII nullam in titulis differentiam continet, cum utrinque «*Oratio David*» habeatur.

In XVIII: ‘In finem. Puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici, in die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum eius et de manu Saul, et dixit’, Victor, servo Domini, David, quando locutus est Domino verba cantici huius, in die qua liberavit eum Dominus ab omnibus inimicis eius et de manibus Saul.

In XVIII: ‘In finem. Psalmus David’, Victor. Psalmus David.

In XX: ‘In finem. Psalmus David’, Victor. Psalmus David.

In XXI: ‘In finem. Psalmus David’, Victor. Psalmus David.

In XXII: ‘In finem. Psalmus David. Pro assumptione vel susceptione vel pro cerva matutina’, Victor, *super potentiam matutinam. Psalmus David*.

In XXIII nequaquam in titulo differt, cum utrobique scriptum sit «*Psalmus David*».

In XXIV: ‘*Psalmus David, in prima Sabati*’, David. Psalmus.

In XXV: ‘In finem. Psalmus David’, David.

In XXVI: ‘*Psalmus David*’, David.

In XXVII: ‘In finem. Psalmus David, priusquam liniretur’, David.

In XXVIII: ‘*Psalmus David*’, David.

In XXVIII: ‘*Psalmus David in consecratione tabernaculi*’, Psalmus. David.

In XXX: ‘*Psalmus David in dedicatione domus David*’, Psalmus cantici in dedicatione domus. David.

In XXXI: ‘In finem. Psalmus David, pro exstasi’, Victor. Psalmus. David.

In XXXII: ‘*Intellectus David*’, David. Sonitus. Maschil.

In XXXIII: ‘In finem. Psalmus David’. Verum apud Hebreos titulo caret.

In XXXIII: ‘*Psalmus David, cum mutaret vultum suum coram Abimelech*’, David, dum mutaret sensum suum coram Abimelech, et expulit eum, et abiit.

In XXXV: ‘In finem. Psalmus ipsi David’, David.

In XXXVI: ‘In finem. Servo Domini Psalmus David’, Victor. Ad servum Domini David.

In XXXVII: ‘*Psalmus*’, David.

In XXXVIII: ‘*Psalmus David, in remembrance Sabati*’, Psalmus David. Ad commemorandum.

In XXXVIII: ‘In finem, cantici David pro Idudum’, Victor. Iedudum. Psalmus. David.

In XL: ‘In finem. Psalmus David’, Victor. David. Psalmus.

In XLI: ‘In finem. Psalmus David’, Victor. Psalmus. David.

In XLII, qui est primus secundi libri, sic inscribitur: ‘In finem.

Intellectus filiis Chore’, Victor. Sonitus. Maschil. Filiorum Chore.

In XLIII: ‘In finem. Psalmus David’, sed hebraice titulo caret.

In XLIII: ‘In finem. Filiis Chore ad intellectum’, Victor. Filiorum Chore. Sonitus. Maschil.

In XLV: ‘In finem, pro iis qui commutabuntur. Filiis Chore ad intellectum. Canticum pro dilecto’, Victor. «*Super Rosis*» *Filiorum Chore. Sonitus. Maschil. Cantici amorum*.

In XLVI: ‘In finem. Psalmus David. Pro arcanis’, Victor. *Filiorum Chore. «Super Sonitum» Alamo. Cantici*.

In XLVII: ‘In finem. Psalmus David. Filiis Chore’, Victor. *Filiorum Chore. Psalmus*.

In XLVIII: ‘*Psalmus David vel laus cantici filiorum Chore, secunda sabati*’, Canticum. Psalmi. *Filiorum Chore*.

In XLVIII: ‘In finem, filiis Chore. Psalmus David’, Victori. Filiorum Chore. Psalmus.

In L nullam in titulis differentiam continet, cum utrinque «*Psalmus Asaph*» reperiatur.

In LI: ‘Cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bersabe’, Victori. *Psalmus. David, dum accessit ad eum Nathan propheta, quando venit ad Bersabe.*

In LII: ‘In finem. Intellectus David, cum venit Doech idumeus et nuntiasset Saul: Venit David in domum Abimelech’, Victori. *Sonitus. Maschil, dum veniret Doeg idumeus ac nuntiaret Saul et diceret ei: Accessit David ad domum Abimelech.*

In LIII: ‘In finem. Intellectus David. Pro Amalech’, Victori. «*Super Instrumentum*» Malath. Sonitus. Maschil. David.

In LIV: ‘In finem, in carminibus. In titulis David, cum venissent Ziphei ad Saul et nuntiassent Saul: Nonne David absconditus est apud nos?’, Victori, *in organis. Sonitus. Maschil, dum venirent Aziphei et dicerent Sauli: Iam David absconditur inter nos.*

In LV: ‘In finem, in carminibus. Intellectus David’, Victori, *in organis. Sonitus. Maschil. David.*

In LVI: ‘In finem, pro populo qui a sanctis longe factus est. In tituli inscriptione ipsi David, cum tenerent eum allophili in Geth’, Victori. *Super «Columbam Mutam» procul a David. Sonitus. Micthan, dum caperent eum Philistei in Gath.*

In LVII: ‘In finem, ne disperdas. David in tituli inscriptione cum fugeret a facie Saul in spelunca’, Victori. «*Ne disperdas». David. Sonitus. Michtam, dum ipse fugeret a facie Saul in speluncam.*

In LVIII: ‘In finem, ne disperdas. David in tituli inscriptione’, Victori. «*Ne disperdas». David. Sonitus. Micthan.*

In LVIII: ‘In finem, ne disperdas. David in tituli inscriptione quando misit Saul, ut custodirent domum eius, ut interficerent eum’, Victori. «*Ne disperdat». David. Sonitus. Micthan, dum mitteret Saul ad observandum eum, ut occiderent eum.*

In LX: ‘In finem. Pro iis qui commutabuntur, in tituli inscriptione ipsi David, in doctrinam, cum succedit Mesopotamiam Syrie Sobath, et convenit Ioab et percussit Edon in valle salinarum duodecim milia’, Victori. *Super «Rosam testificationis». Sonitus. Micthan. David. Ad docendum, dum demoliretur Aram Narain. Et Aram Zeva, et redivit Ioab et percussit Edon in valle salis duodecim milia.*

In LXI: ‘In finem, in hynnus. Psalmus David’, Victori. *Super ‘Organis’. David.*

In LXII: ‘In finem, pro Iditum. Psalmus David’, Victori. Super Iedudum. Psalmus. David.

In LXIII: ‘*Psalmus David, cum esset in deserto Idumee*’, Psalmus. David, cum esset in deserto Iuda.

In LXIII: ‘In finem. Psalmus David’, Victori. Psalmus. David.

In LXV: ‘In finem. Psalmus David, canticum Aggei, Hieremie vel Ezechielis de verbo peregrinationis, ut inciperent proficisci’, Victori. Psalmus. David. Cantici.

In LXVI: ‘In finem. Canticum Psalmi resurrectionis’, Victori. Canticum Psalmi.

In LXVII: ‘In finem, in hymnis. Psalmus cantici David’, Victori. Pro organis. Psalmus. Cantici.

In LXIII: ‘In finem. Psalmus cantici. David’, Victori. David. Psalmus. Cantici.

In LXVIII: ‘In finem, pro iis qui commutabuntur. Ipsi David’, Victori. *Super ‘Rosis’. David.*

In LXX: ‘In finem. Psalmus David in rememoratione quod salvum fecit eum Dominus’, *Victori. David ad commemorandum*.

In LXXI ‘Psalmus David, filiorum Ionadab et priorum captivorum’, apud Hebreos titulo caret.

In LXXII: ‘In Salomonem’, Salomonis.

In LXXIII, qui est principium tertii libri, sic pro titulo habet: «Defecerunt laudes vel hynni David, filii Iesse», *Expliciunt orationes David, filii Iesse. Psalmus. Asaph*.

In LXXIII: ‘Intellectus Asaph’, *Sonitus. Maschil. Asaph*.

In LXXV: ‘In finem, ne disperdas. Psalmus cantici Asaph’, *Victori. «Ne disperdas».* *Psalmus. Asaph. Cantici*.

In LXXVI: ‘In finem, in carminibus. Canticum Assyriorum. Psalmus David’, *Victori. In organis. Psalmus. Asaph. Cantici*.

In LXXVII: ‘In finem, pro Idudum. Psalmus David’, *Victori. Super Iedudum. Asaph. Psalmus*.

In LXXVIII: ‘Intellectus Asaph’, *Sonitus. Maschil. Asaph*.

In LXXVIII nullam in titulis differentiam habet, cum utrobique «*Psalmus Asaph*» inveniatur.

In LXXX: ‘In finem, pro iis qui commutabuntur. Psalmus. Pro Assyriis testimonium Asaph’, *Victori. Pro «Rosis testificationis».* *Asaph. Psalmus*.

In LXXXI: ‘In finem. Pro torcularibus. Psalmus ipsi Asaph. Quinta sabati’, *Victori. Sonitus Agithith. Asaph*.

In LXXXII nullam titulorum discrepantiam amplectitur, cum utrobique «*Psalmus Asaph*» reperiatur.

In LXXXIII: eodem modo se habet, cum utrobique «*Canticum Psalmi Asaph*» inscribatur.

In LXXXIII: ‘In finem. Pro torcularibus filiis Chore. Psalmus’, *Victori. Super «Sonitum Agithith».* *Filiorum Chore. Psalmus*.

In LXXXV: ‘In finem, filiis Chore’, *Victori. Filiorum Chore. Psalmus*.

In LXXXVI nullam in titulis differentiam habet, cum utrobique «*Oratio David*» scriptum ostendatur.

In LXXXVII: ‘Filiis Chore. Psalmus cantici’, idem hebraice legitur.

In LXXXVIII: ‘Canticum Psalmi, filiis Chore, in finem, pro Melech, ad respondendum intellectus Eman Esraelite’, *Canticum Psalmi Victorii. Filiorum Chore. Victorii. Super «Instrumentum Malaath»*, ad affligendum. *Sonitus. Maschil. Eman Aesrai*.

In LXXXIX: ‘Intellectus Ethan esraelite’, *Sonitus. Maschil. Eedan Aesrai*.

In LXXX, qui est primus quarti libri: ‘*Oratio Moysi, hominis Dei*’, *Oratio Moysi, viri Dei*.

In LXXXI: ‘Laus cantici ipsi David’, hebraice titulo caret.

In XCII nullam in titulis differentiam habet, cum utrobique «*Psalmus cantici, in die sabati*» scriptum reperiatur.

In XCIII: ‘Laus cantici David, in die ante sabatum, quando fundata est terra’, apud Hebreos autem titulo caret.

In XCIII: ‘*Psalmus David, quarta sabati*’, attamen hebraice nullum titulum habet.

In XCV: ‘Laus cantici ipsi David’, apud Hebreos vacat titulus.

In XCVI: ‘Psalmus David, quando domus edificabatur post captivitatem’, apud Hebreos titulo caret.

In XCVII: ‘Psalmus David, quando terra restituta est ei’, hebraice vacat titulus.

In XCVIII: ‘Psalmus David’, Psalmus.

In XCIX: ‘Psalmus David’, apud Hebreos deficit titulus.

In C nullam in titulis differentiam habet, cum utrobique «Psalmus in confessione» pro titulo reperiatur.

In CI: ‘Psalmus ipsi David’, David. Psalmus.

In CII: ‘Oratio pauperis, cum anxiaretur et coram Domino fudit precem suam’, *Oratio pauperis, quando afflictus fuerit, et coram Domino effuderit eloquium suum*.

In CIII: ‘Psalmus ipsi David’, David.

In CIV: ‘Psalmus David’, apud Hebreos autem titulo caret.

In CV: ‘Alleluia. Alleluia’, apud Hebreos deficit titulus, cum in fine precedentis Psalmi scriptum reperiatur.

In CVI nullam in titulis differentiam habet, cum utrobique «Alleluia. Alleluia» pro titulo habeatur.

In CVII, et est primus quinti libri, pro titulo habet: «Alleluia. Alleluia», quo Hebrei carere reperiuntur, sed in fine precedentis Psalmi semel ‘Alleluia’ reperitur.

In CVIII: ‘Canticum Psalmi ipsi David’, Canticum Psalmi. David.

In CVIII: ‘In finem. Psalmus David’, Victori. David. Psalmus.

In CX: ‘Psalmus David’, David. Psalmus.

In CXI: ‘Alleluia’, Laudate Dominum.

In CXII: ‘Alleluia. Reversionis Aggei et Zacharie’, Laudate Dominum.

In CXIII: ‘Alleluia’, Laudate Dominum.

In CXIII: ‘Alleluia’, in hebreo deficit titulus, qui est in fine precedentis Psalmi.

In CXV cum apud Septuaginta non sit Psalmus a proximo separatus, sed cum eo coniunctus, titulum habere non potest. Quo etiam apud Hebreos caret.

In CXVI: ‘Alleluia’, hebraice vero titulo caret, et continuus est usque ad alium qui incipit «Laudate Dominum» licet apud Grecos et Latinos in hoc verbo, credidi, ab invicem separetur. Duo alii subsequentes ‘Alleluia’ pro titulis habent, qui apud Hebreos deficiunt, et in fine precedentium Psalmorum reperiuntur.

In CXIX habet pro titulo apud Septuaginta ‘Alleluia’. Quo Hebrei carent: apud eos enim est unus atque continuus usque ad alium Psalmum, qui incipit ‘Ad Dominum, in tribulatione mea, invocavi’. Si vero apud Grecos vel Latinos per XXII Psalmos, secundum hebreos characteres (hoc enim ordine apud eos scribitur), in quibusdam mendosis codicibus variis titulis forte distinctus inveniretur, menda esset. Duo subsequentes Psalmi nullam in titulis differentiam habent, cum utrobique «Canticum graduum» scriptum reperiatur.

In CXXII: ‘Canticum graduum’, Canticum graduum. David.

In CXXIII nulla in titulis differentia est, cum utrobique «Canticum graduum» legatur.

In CXXIII: ‘Canticum graduum’, Canticum graduum. David.

In duabus subsequentibus nulla in titulis differentia invenitur.

In CXXVII nullam in titulis discrepantiam continet. Utrobique enim «Canticum graduum Salomonis» pro titulo habetur. Tres subsequentes eos retinent titulos, cum penes unumquemque «Canticum graduum» conscribatur.

In CXXXI: ‘Canticum graduum’, Canticum graduum. David.

In CXXXII nullam in titulis differentiam habet, cum utrobique «Canticum graduum» legamus.

In CXXXIII: ‘Canticum graduum’, Canticum graduum. David.

In subsequenti Psalmo nulla in titulis diversitas extat, cum utrobique «Canticum graduum» scriptum videamus.

In CXXXV: ‘Alleluia’, Laudate Dominum.

In CXXXVI: ‘Alleluia’, quod in fine precedentis Psalmi apud Hebreos duntaxat reperitur, et alio titulo caret.

In CXXXVII: ‘Psalmus David, propter Hieremiam’, hebraice vero titulo caret.

In CXXXVIII: ‘Psalmus ipsi David’, David.

In CXXXIX: ‘Psalmus David’, Victori. David. Psalmus.

In CXXXX: ‘Psalmus David’, Victori. Psalmus. David.

In CXXXXI nulla in titulis differentia apparet, cum utrobique «Psalmus David» reperiatur.

In CXLII: ‘Intellectus David, cum esset in spelunca, oratio’, *Sonitus. Maschil. David, cum esset in spelunca. Oratio*.

In CXLIII: ‘Psalmus David, quando persequebatur eum filius suus Absalon’, Psalmus. David.

In CXLIV: ‘Psalmus David adversus Goliam’, David.

In CXLV: ‘Laudatio ipsi David’, Laudatio. David.

In CXLVI: ‘Alleluia’, Laudate Dominum, licet ambigatur utrum apud Hebreos sit titulus, cum principium Psalmi esse videatur.

In CXLVII: ‘Alleluia’, Laudate Dominum, sicut paulo superius dicebatur. In hoc Psalmo apud Hebreos est continuatio usque ad alterum subsequentem qui incipit «Laudate Dominum», licet apud Septuaginta per innovationem alterius Psalmi hoc titulo prenotati: «Alleluia, Aggei et Zacharie», cuius principium est «Lauda, Hierusalem, Dominum». In tribus reliquis et ultimis ‘Alleluia’ pro titulis habentur, et apud Hebreos in omnibus «Laudate Dominum» reperitur. De quo dubitatio est utrum sint tituli vel principia Psalmorum, quemadmodum supra dicebatur.

## [Liber quintus]

IANNOZII MANETTI AD ALFONSUM, CLARISSIMUM ARAGONUM REGEM,  
LIBER QUINTUS APOLOGETICUS INCIPIT

[1] Instituentibus nobis, gloriosissime princeps, inceptam ac iam propemodum absolutam huius nostri operis materiam prosequi et mandare huic quinto, quemadmodum institueramus, libro, nuntiatum est Maiestatem tuam mala valitudine ea scilicet tempestate detineri, qua Beneventi venationis gratia commorabar. Quo quidem adverso et permolesto nuntio usque adeo per aliquot dies turbati et consternati sumus, ut nihil omnino scribere valeremus. [2] Cuius quidem tante turbationis nostre causas cum inter nos sepenumero consideraremus, duas vel maxime fuisse inveniebamus. Una erat generalis quedam, cunctorum populorum, qui sub tuo imperio degebant, consternatio atque extrema omnium statuum suorum eversio, quam quidem mox futuram ac e vestigio subsecuturam non iniuria putabamus ac coniectura augurabamur, si ea valitudo, ut ab origine inceperat, paulo diutius commorata invaluisset. [3] Quorum quidem acerbissimorum tot tantorumque subditorum tuorum casum apprime miserati, mente non mediocriter, sed multum admodum angebamur. «Homines enim sumus, nec quicquam humani a nobis alienum existimamus». Altera accedebat privata persone statusque mei periclitatio, quam equidem tandem aliquando fore intelligebam, si mors (Deus avertat!) te a tergo inopinata invasisset. [4] Sed cum infinita omnipotentis Dei gratia atque affectatis plurimorum populorum precibus assiduisque orationibus, te paucis post diebus ex gravi quo carpebaris morbo, ita convaluisse cognovi, ut pristinam corporis tui sani ac robusti incolumitatem atque salutem penitus omninoque recuperaveris; Domino Deo nostro, cuius favoribus adiutus, repente convalueras, in primis magnas et ingentes gratias egi, quoniam non solum vehemens illa et acerba turbatio, que mentem meam ita consternaverat, prorsus evanuit, sed maximo quoque gaudio et incredibili letitia perfusus sum. [5] Cum vero paulo post recuperatam pristinam valitudinem, non sine infinito totius populi applausu atque admirabili festivitate, Neapolim ad nos redires, me continere non potui, quin medicos tuos de causis illius detestande egritudinis diligenter et accurate percontarer.

[6] Ceterum cum unam et solam predicte egrotationis causam, nimios scilicet quosdam atque importunos inter venandum labores fuisse accepissem, non ab re fore arbitratus sum si, ut hoc loco ob singularem quandam ac precipuam meam in te caritatem, observantiam ac venerationem te rogare, te exhortari, te denique exorare cogor, ita tibi suppliciter obsecravero, ut his saltem nimiis, ubi ab omnibus pre eximia animi tui voluptate mentisque tranquillitate non potes, venandi laboribus mitius ac parcius indulgeas. [7] Si enim omnes homines communi nature lege non sibi solis, sed patrie, sed amicis, sed propinquis et affinibus et cunctis denique vulgo hominibus, ut preclare scriptum est a Platone et in optimis etiam (quod multo maius ac prestantius est!) christiane religionis institutis plane et aperte continetur divinitusque explicatur; quanto magis reges, qui non pervulgata et communi aliorum mortalium lege, sed precipuo ac divino nature privilegio

et procreati et orti sunt, in quorum quidem salute una cunctorum subditorum populorum status vel maxime conservatur?

[8] At vero si forte eam celebratam C. Cesaris sententiam, quam crebro dictis suis usurpabat, tua responsione assummeres diceresque instar illius: «Satis diu vixi vel nature vel glorie», tibi forte ita dicenti id ipsum respondere non extimescerem quod Ciceronem, prestantissimum oratorem egregiumque philosophum, predicto Cesari respondisse constat. In ea enim celeberrima oratione, que Pro M. Marcello inscribitur et coram eo habita est, verba hec posuit:

[9] «Itaque illam tuam preclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: “Satis diu vel nature vixi vel glorie”». «At, quod maximum est, certe patrie parum. Quare omitte, queso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo esse sapiens. Sepe enim venit ad» aures «meas» «te idem istud nimis dicere crebro tibi satis te vixisse. Credo, sed tum id audirem, si tibi soli viveres aut si tibi soli natus essem». [10] Quod si Cicero Cesari, dum apud eum oraret, se ita respondisse testatur, cur ego extimescere aut subvereri debedo, ne id ipsum Maiestati tue, si forte commemoratam Cesaris sententiam usurpares, plane aperteque respondeam, quin immo tantum abest ut huiusmodi respcionem extimescam, quod prompte et aperta, ut dicitur, fronte in hunc modum respondere non dubitarem? [11] Noli, fortunatissime Alfonse, noli, queso, tot tantorumque subditorum periculo in contemnenda morte et in negligenda incolumitate esse sapiens; sed ita vive, ita tibi indulge, ita denique valitudinem tuam cura, ut cum singulari quadam et precipua tantarum gentium utilitate simul ac maxima et pene infinita nominis tuis gloria diutius vivere possis et valeas. [12] Quod uno solo cunctorum medicorum consensu nimirum assequeris, si nimiis ac profecto (pace tua dicam!) interdum importunis quotidianarum ac continuarum venationum laboribus parumper modiceque pepercseris. Id ut non solum pro salute tua, sed etiam pro certa et expressa tot tantorumque subditorum tuorum conservatione accurate efficere ac diligenter prestare digneris, ego ascriptitius ac dedititius Maiestatis tue servus, te in maiorem modum exhortor ac suppliciter rogo et obsecro. [13] Nec enim absurdum est ut tu, qui magne orbis parti imperare legesque imponere videris, pro salute tua imperative, ut dixerim, orbis conservatione medicorum duntaxat preceptis institutisque parere et obtemperare velis. Nunc ad propositum incepti et pene absoluti operis redeamus, si prius quid paulo post commemoratam convalescentiam tuam circa usitatam provisionis mee solutionem acciderit. breviter enarravero.

[14] Unde quantum ego ex predicta egrotatione iure cruciari, et versa vice quantum ex recuperata salute letari debuerim, manifestissime declarabitur. Nam cum oportunum ordinarie solutionis tempus iam preteriisset atque idcirco ut mihi convenienter solveretur, a novo quodam thesaurario, ad quem solvendi gratia nuper remissus eram et quem honoris causa nominare nolui, quoad poteram, paulo diligentius crebriusque curarem, nihil aliud nisi bona certaque eiusdem solutionis mee verba reportabam. [15] Sed cum id ipsum aliquandiu postulans atque efflagitans, sepius frustra tentasse, tandem aliquando factum est ut mihi eum gravioribus verbis semel urgenti, in hunc modum particularius atque exactius se inter legendum privilegia mea propterea solvere non posse responderet, quoniam duobus illis magnis ac dignis et sacri regii consilii et publici, ut ita dixerim,

erarii tui magistratibus, quibus me ornare atque illustrare volueras, quotidianis persone mee officiis haudquaquam subministraveram. [16] Cui quidem sic obicieni me ad illa officia quotidiana quadam persone mee assistentia ex ipsa privilegiorum solemnitate minime obnoxium esse foreque aperta fronte respondissem atque ille in sententia sua pertinacius obduraret, demum ad Maiestatem tuam, certum quendam cunctarum turbationum mearum portum, magna iactatus tempestate confugi. [17] Atque re ipsa paucis, ut scis, verbis diligenter enarrata, ita grata, ita liberaliter, ita denique magnifice respondisti, ut coram multis illustribus principibus proceribusque tuis, quibus forte eo allocutionis mee tempore circundatus eras, cum maximis laudibus meis te non solum me exhibite provisionis munieribus ac emolumentis, sed duabus quoque predictorum magistratum dignitatibus prosequi et honorare voluisse apertissime atque dignissime declarares; ac propterea ut mihi actutum solveretur, te paulo post curaturum largissime pollicitus fuisti atque dignissime ac regaliter obtulisti, et id ipsum iuxta pollicitationes oblationesque tuas illico effecisti. [18] Nam confestim vive vocis oraculo illi ipsi edixisti ut, quemadmodum in privilegio plane et aperte expresseras mihi, celeriter simul ac sine strepitu et figura, ut dicitur, iudicii liberaliter solveret. Quod ubi ipse audivit, non ulterius cunctandum aut refragandum ratus, mihi celerrime ac largissime solvere non detrectavit. Sed quorsum hec, hoc presertim loco, forte dicet quispiam? Ut scilicet me ex mala valitudine tua non immerito apprime cruciari, et versa vice ex recuperata salute multum admodum letari debuisse, quemadmodum supra dixi, plane et aperte intelligatur. Verum ad instistutum nostrum, unde paulo longius digressi sumus, bonis omnibus revertamur. [19] Cum igitur in primo huius nostri Apologetici libro de diversis cuncitorum auctorum obtrectatoribus omniumque sanctorum scriptorum veterum vita et moribus breviter tractaverimus, ac secundo de variis sacrarum Scripturarum interpretibus, et tertio et quarto de singulis quibusque Psalterii inter celebratam Septuaginta seniorum traductionem et Hebraicam veritatem differentiis ac diversitatibus abunde affatimque disseruerimus, reliquum est ut hoc quinto et ultimo de interpretatione recta non nulla memoratu digna in medium afferamus. [20] De hac igitur interpretatione recta deinceps tractaturi, ab eius diffinitione non iniuria ordiemur. Omnis enim que a ratione de aliqua re suscipitur institutio, secundum celebratam illam Ciceronis nostri sententiam, debet a diffinitione proficiisci, ut intelligatur quid sit illud de quo disputetur.

[21] Est ergo interpretatio recta idonea quedam et commoda de quacunque celebrata ac preceptis et regulis instituta lingua in aliam pariter vel pene similem, iuxta subiectam de qua tractatur materiam, conversio. Nam si ex quatuor celeberrimis idiomatibus (Hebreo, Caldeo, Greco ac Latino), reliquis omnibus pretermissis, de uno aliquo in aliud secundum diversitatem materie recte converteretur, profecto recta illa interpretatio nuncuparetur. [22] At vero si de aliquo predictorum in maternum sermonem forte transferretur, quanquam cuncta alia convenienter que ad rectam interpretationem requiruntur, non tamen proprie recta interpretatio diceretur; recta quippe conversio certam quandam eloquii illius lingue, in quam traducitur, dignitatem exigere et postulare videtur. Multa quoque alia ad hanc, de qua loquimur, necessario concurrant oportet.

[23] Primo, etenim «habenda est» «illius lingue, de qua» transfertur, cognitio, «neque ea parva» ac «vulgaris, sed» minuta «et trita et accurata et multa ac diuturna» «poetarum»,

«oratorum», historicorum, «philosophorum», et, si e sacris Scripturis traducendum foret, celebratorum doctorum lectione quesita; siquidem «qui hos omnes non legerit, evolverit» ac diligenter accurateque «versarit», is proprietatem «significataque verborum» probe tenere «intelligereque» non poterit. [24] Sine quorum omnium certa et exacta intelligentia nullus bene interpretari ex eo valet, quia omnes presertim elegantes scriptores tropis figurisque dicendi frequenter utuntur. Que si ut sonant verba, ita interpretarentur, non modo ridicula et stulta, sed quandoque falsa redderetur conversio. «Qualia sunt apud nos: “Gero tibi morem” et “desiderati milites” et “boni consulas” et “opere pretium fuerit” et “negotium facesso”» et «dabis improbe penas», «et» plura «alia huiusmodi», quibus idoneorum auctorum libri referci comperiuntur. [25] Hec profecto omnia longe aliud ex consuetudine figurisque loquendi significant quam propria ipsius locutionis verba significare videantur, ut est. Duobus enim et quidem celebratis duntaxat exemplis contenti erimus: «“Desiderati milites centum” et “armata iuventus”. “Desiderati”» namque «“milites”, si verba» tantummodo «attendas, aliud» important «si» tritam vero loquendi «consuetudinem, “perierunt”». [26] «“Iuventus”» quoque «et “iuventa” duo» diversa «sunt, quorum alterum “multitudinem”, alterum “etatem” significat», ceu idoneis Virgilii Liviique auctoritatibus plane et aperte confirmatur. Maro enim Eneidos quinto ita canit: «... si nunc foret illa iuventa» et alibi: «... primevo flore iuventus exercebat equos ...» Livius etiam quodam loco Ab urbe condita, sic scribit: «Armata iuventus excursionem in agrum romanum fecit».

[27] Si ergo ad rectam interpretationem «notitia» «illius lingue», e qua transfertur, ut diximus, necessaria est, profecto multo magis necessaria videbitur et illius cognitio in quam transferetur. Nam quicunque recte interpretari voluerit, propositum suum nequaquam assequi poterit nisi «linguam eam», in «quam traducere» proposuerit, «sic» tenuerit, «ut in» ipsa «quodammodo dominetur et» «totam», ut ita dixerim, ita «in potestate habeat, ut cum» par «verbum verbo reddendum fuerit», quod plerunque accidit, vel id nullatenus mendicare cogatur vel in aliena lingua «ob» crassam eius «ignorantiam» peregrinum extraneumque relinquat.

[28] «Vim» quoque «ac naturam verborum subtiliter» et exacte «noscat oportet, ne “modicum” pro “parvo”, ne “fortitudinem” pro “robore”, ne “bellum” pro “prelio”, ne “urbem” denique pro “civitate”» inter transferendum exprimat. Consuetudines etiam figurisque loquendi calleat necesse est, «quibus optimi scriptores» crebro «utuntur». Quod tertio inter interpretandi virtutes ponimus.

[29] Quartum insuper requiritur ut omnis idoneus interpres «habeat» aures teretes atque rotundas, «ne» forte «illa, que» eleganter concinneque «dicta sunt, dissipet ipse» atque «perturbet». Hec cuicunque recto proboque interpreti, quemadmodum superius dictum est, necessaria sunt. Que quidem omnia per certa quedam et expressa cuiuscunque traductoris vitia predictis virtutibus directe et e regione contraria evidenter apparebunt. Manifesta enim cunctorum interpretum vitia huiusmodi sunt. [30] «Nam si aut male capiunt quod» interpretantur, «aut male reddunt aut si id, quod apte» numero sequente «dictum» fuerit, «ipsi ita convertant, ut ineptum et inconcinnum et dissipatum efficiatur» vitiosi interpretes non iniuria appellabuntur. Si duo preterea usitata et nota exornationum -hoc est verborum et sententiarum- ornamenta, quibus singula queque scripta precipue exornari illustrarie

videntur, non ita expresserit, ut dignitas ac maiestas primi auctoris si non usquequaque, saltem maxima ex parte servetur, nequaquam boni interpretes habendi sunt.

[31] Quocirca si et he interpretandi virtutes et ista de quibus diximus vitia, altere diligenter serventur, altera vero accurate evitentur, nulla profecto interpretatio recta esse fierique poterit; quod unico et quidem peregregio alicuius nobilitate picture exemplo declarari evidentissime ac manifestissime potest. [32] Quemadmodum «enim» illi, «qui ad exemplar picture aliam picturam» effingere conantur, nisi «figuram et statum et ingressum ac totius corporis formam» et liniamenta coloresque exinde probe apteque assumpserint, nec «quid ipsi» faciant, «sed quid ille alter effecerit», ita ad unguem meditentur, ut cuncta predicta diligenter accurateque serventur, nequaquam de recta expressione iure laudabuntur.

[33] Ita pariter quibuscunque interpretibus evenire necesse est. Nisi enim primo vim proprietatemque verborum, nisi deinde sententiarum gravitatem, nisi etiam digna utrorunque ornamenta, nisi insuper maiestatem dignitatemque primi auctoris suis interpretationibus bene eleganterque expresserint, nullatenus de recta interpretatione merito laudari poterunt.

[34] Cum igitur quid sit interpretatio recta diffinierimus, consequens esse videtur ut ea quecunque ad verbum est traductio, recta esse non possit. Est enim triplex interpretatio: una ad verbum; altera, ut ita dixerim, ad sensum; tertia ubi aliqua interdum ornatus gratia omittuntur, non nulla pro arbitrio voluntateque interpretis superadduntur. Ad verbum interpretatio est ubi verbum verbo redditur.

[35] Ad sensum vero ubi verbis tropisque dicendi omissis sententia tantummodo servatur. At si quando aliqua paulo obscuriora forte pretermitterentur, ne ob eorum positionem labefactaretur interpretatio, vel amplificandi gratia adderetur (quod altera ex duabus causis evenire necesse est), modo vel omissione vel additione primi auctoris sententia servaretur; profecto tollerabile esse videretur, ceu ab optimis scriptoribus non nunquam factum ac servatum fuisse legimus, ut paulo post manifestissime apparebit.

[36] Quod autem ad verbum interpretatio facta, ut diximus, recta esse non possit, ex eo vel maxime patebit, quia tametsi in ea lingua, in quam traducitur, tot verba et paria et commoda reperirentur et que idem penitus significant (quod evenire omnino impossibile est!), adhuc restarent tropi ac methaphore figureque loquendi, que secundum verborum sonitum, ceu supra per plura et ea quidem nobilitata exempla probavimus, nullatenus probe converti possent.

[37] Ad hanc tam validam prepotentemque rationem celebrate quedam non nullorum idoneorum scriptorum auctoritates bonorumque interpretum usus et consuetudines observationesque accedunt. Sed duabus duntaxat duorum optimorum auctorum, alterius prophani, alterius sacri, allegationibus brevitatis gratia contenti erimus. Oratius enim in Arte poetica, cum de recta interpretatione loqueretur, ita canit: «nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres».

[38] Hieronymus etiam in prefatione libri De temporibus, cum de eadem re paulo exactius uberiusque dissereret, «Dum “ad verbum”, inquit, “interpretor, absurde resonat”». De usu vero bonorum interpretum dubitari non potest, qui semper ad sensum et non ad verbum interpretari consueverunt. Ut Cicero, optimus interpres, in translationibus suis plane

aperteque testatur. [39] Que etsi non reperiantur, sed incuria et negligentia maiorum nostrorum omnino periisse videantur, in prologo tamen interpretationis, quam de duabus illis famosissimis Eschinis et Demosthenis orationibus fecisse constat, apertissime asserit, et in aliquibus etiam que sparsim hinc inde ex Homeri et Sophoclis ac etiam ex Platonis et Aristotelis et non nullorum aliorum vetustissimorum scriptorum sententiis in libris suis posita videmus, diligenter accurateque servasse cernitur.

[40] Idem pene et Hieronymus in sacris Scripturis, ubi minus ob dignitatem maiestatemque divini eloquii sententiarumque gravitatem vel potius divinitatem servandum fore videbatur, servasse novimus. De hac nostra circa interpretationem rectam opinione, si quis forte dubitaret, traductiones ad verbum factas in manus sumat. Ex quibus quidem paulo diligentius accuratiusque perlectis omnis inter legendum eius dubitatio ambiguitasque cessabit.

[41] Verba enim inepta, peregrina et ambigua, sententias obscuras intercisasque et interdum alienas falsasque reperiet. Quod ex duabus et Dyonisii Ariopagite, Atheniensis episcopi, et plurimorum Aristotelis librorum veteribus interpretationibus intueri licet. Nam duo illi veteres interpretes ad verbum ob sententiarum, alterius philosophi, alterius theologi, gravitatem interpretari conati, ita ambiguas, ita perplexas, ita denique obscuras traductiones suas reddiderunt, ut absque certo quorundam explanatorum favore vix maleve ac perperam intelligi possint. [42] Et tamen non nulla eadem per duas alias duorum utriusque lingue peritissimorum virorum, unius Bissarionis, reverendissimi cardinalis Niceni, alterius Ambrosii, Camaldulensis ordinis patris generalis, conversiones novas non ad verbum, sed ad sensum effectas, aperta, distincta et clara cernuntur. Bissarion enim Aristotelis Metaphysice libros ex ambiguis ac perplexis et obscuris utcunque latinis claros nimirum atque distinctos et apertos sua nova translatione reddidisse conspicitur.

[43] Quod idem de Ambrosio sentimus et dicimus, qui libris commemorati Dyonisii et De celesti et De ecclesiastica hierarchia, De divinis quoque nominibus et De mystica insuper theologia, quos omnes ad Timotheum Ephesium episcopum in lingua greca eleganter conscripsit, non ineptus presertim in materia ita abstrusa, ita recondita, ita ab omni sensu remotissima et, ut ita dixerim, abhorrentissima evidenter ostenditur. Et in Laertii insuper Diogenis libris, qui De vita et moribus philosophorum inscribuntur, commemoratum Arnobiosum ad sensum, non ad verbum egregie eleganterque inter legendum convertisse cognovimus.

[44] Quas ob res cum quid sit recta interpretatio et quomodo de una in aliam linguam ad verbum facta conversio perfecta et laudabilis esse non possit, hactenus pro facultate nostra breviter admodum disseruerimus, duo preterea ad ultimam huius nostri operis consumationem restare videntur, de quibus pauca dicemus.

[45] Primum est quod, licet ad verbum interpretatio, ut supra diximus, sive secularibus et profanis sive religiosis sacrisque auctoribus recta atque idonea esse non valeat, inter traductiones tamen poetarum, oratorum, historicorum ex una parte, ex altera vero manifestam philosophorum ac theologorum differentiam non parvam illam quidem, sed magnam profecto et ingentem esse fierique oportet.

[46] Tria enim illa antea posita in quavis conversione esse convenit, ut, sententia quodammodo servata, cuncta alia secundum evidentem primorum auctorum diversitatem varietatemque ornata et illustrata fuisse ostendantur. Reliqua vero duo graviorem quandam ac severiorem traductionem exigere et postulare videntur.

[47] Nam, ut a poetis incipiam, Cecilius ac Terentius poete comici Menandri fabellas, atque Ennius et Pacuvius et Accius Euripidis et Sophoclis tragedias ita eleganter interpretati fuisse dicuntur, ut non minus ab utriusque lingue peritis illorum temporum hominibus nec minori etiam voluptate quam principales suarum celebratarum fabularum auctores legerentur. [48] Cicero nanque in commemorata prefatione quodam loco verba hec ponit: «nec minus Terentium et Cecilium quam Menandrum legunt, nec Andromacam aut Antiopam aut Epigonos latinos recipiunt; sed tamen Ennium et Pacuvium et Accium potius quam Euripidem et Sophoclem legunt. Quod igitur est eorum in orationibus e greco conversis fastidium, nullum cum sit in versibus?»

[49] De oratoribus quoque eadem ex ipsa Ciceronis prefatione deprehendere atque intelligere possumus, qui alicubi, «“Quorum ego”, inquit, “orationes si, ut spero, ita expressero virtutibus utens illorum omnibus, id est sententiis et earum figuris et rerum ordine, verba persequens eatenus, ut” “non abhorreant a more nostro (que si de Grecis omnia conversa non erunt, tamen ut generis sint eiusdem elaborabimus), erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes”».

[50] De historicis idem sentimus et dicimus, quorum excellentes priscosque a veteribus interpretibus nullatenus e greco latine traductos existimamus, cum id nunquam factum legerimus. Tuchididem tamen atque Herodotum, duos prestantissimos et elegantissimos cunctorum aliorum grecorum historicos, a duobus nostri temporis egregiis viris in latinum eloquium non ad verbum, sed ad sensum, quemadmodum fieri oportebat, conversos nequaquam ignoramus. [51] Atque de Iosepho et in libris De antiquitate Iudeorum et De captivitate iudaica et De vetustate Hebreorum adversus Appionem illum grammaticum, cognomento Plistonicem, quod de multis diversarum rerum generibus scripsерit (illum, inquam, Appionem grammaticum, qui ignobilitatem simul ac novitatem generis Iudeis scriptis suis vehementer obiciebat), quos omnes sive a Rufino, doctissimo viro, ut est quorundam eruditorum virorum non usqueaque contemnenda opinio, sive ab alio quocunque interprete traducti fuerint-; ad sensum, non ad verbum conversos haudquaquam ignoramus.

[52] Ceterum de philosophis ac theologis, quanquam recte, ut diximus, in quibusvis interpretationibus ad verbum interpretari nequeamus, non ita tamen lata ac vaga et ampla cum verborum tum sententiarum quoque luminibus ornamentisque expolita, sed aliquando pressior ac gravior et exactior in predictis duobus quam in tribus superioribus esse debet.

[53] Quippe ad gravitatem expressionemque sententiarum, quibus utraque commemorata facultas vel maxime abundat, in primis requiritur ut nec plura neque pauciora interdum verba redditur, nisi quantum certa troporum et figurarum ac metaphorarum necessitas atque non nunquam nimia intelligentie obscuritas exigere et postulare videatur. Quod in sacris Scripturis precipue maximeque servandum iure existimamus et credimus.

[54] Etenim Ciceronem duas predictas illas nobilissimas orationes aliter cum plura omiserit multaque addiderit, quam Economicum Xenophontis et Platonis Prothagoram

traduxisse coniectura auguramur! In proemio quippe De finibus bonorum et malorum, ita scribit: Nanque «si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poete fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. Sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen ne faciam interdictum puto. Locos quosdam, si videbitur, transferam et maxime ab iis, quos modo nominavi, cum inciderit, ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Affranius a Menandro solet.»

[55] Quod utinam fecisses, Cicero! Non enim de illis qui tuo tempore neque etiam de posteris hominibus male, ceu ipse suspicari videbaris, sed vel potius optime meruisses, cum duorum gravissimorum philosophorum singularia quasi totius vere nobilitateque philosophie dogmata tua illa singulari ac pene incredibili eloquentia mirum in modum exornasses, atque ea ita latinis dilucida et ornata reddidisses, ut mali ac vitiosi interpretes, post multa temporum curricula nulla optata nove traductionis oportunitate, nequaquam rursus convertere quin immo vel potius pervetere et depravare ausi fuissent!

[56] Quod si grecorum philosophorum latini interpretes ob sententiarum gravitatem preceptorumque ornatam traductionem exactius ac pressius quam aliorum secularium scriptorum traductores interpretari oportet, quidnam de sacrarum divinarumque Scripturarum conversionibus sentiemus, ubi cuncte queque sententie sacre ac divine sunt, in quibus omnis duntaxat humana salus vel maxime consistere recondique videtur? [57] Quod tametsi ita sit, excellentes tamen sacrarum Scripturarum interpretes usque adeo ab interpretatione ad verbum, utpote ab illa quam et sententias obscurare et interdum pervertere arbitrabantur, abhorruisse videntur, ut in medio sacri textus cum non nunquam amplificationibus, tum alienis quoque interpretationibus utantur. [58] Quod Hieronymum cum in libris Eusebii Cesariensis et De temporibus tum etiam et De ecclesiastica historia diligenter accurateque servasse inter legendum manifeste conspicimus; et id, quod ipse diligenter servavit, pluribus librorum suorum locis sic fieri oportere plane aperteque testatur. [59] Nam in prefatione commemorati De temporibus libri inter cetera verba hec ponit: «Difficile est alienas lineas insequentem non alicubi excedere, et arduum ut que in aliena lingua dicta sunt, eundem decorem in translatione conservent. Significatum est aliquid unius verbi proprietate: non habeo meum quo<d> id efferam; et dum quero implere sententiam, longo ambitu vix brevis vie spatia consumo. Accedunt yperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietas figurarum, ipsum postremo suum, et, ut ita dicam, vernaculum dicendi genus: si ad verbum interpretor, absurde resonat; si ob necessitatem aliquid in ordine, vel in sermone mutavero, videbor ab interpretis officio recessisse.»

[60] Et post multa ibidem ita scribit: «Quodsi cui non videtur lingue gratiam interpretatione mutari, Homerum ad verbum exprimat in latinum. Plus aliquid dicam, eundem in sua lingua prose verbis interpretetur: videbit ordinem ridiculum et poetam eloquentissimum vix loquentem.» Que quidem omnia cum in libro De optimo genere interpretandi ad suum propositum paulo latius et uberius commemorasset, statim in hunc modum subiungere non dubitavit:

[61] «Verum ne scriptorum nostrorum parva sit auctoritas, quanquam hoc tantum probare voluerim me semper ab adolescentia non verba, sed sententias transtulisse, qualis super hoc genere Antonii vita describitur, ipsius lectione cognosce. Ex alia enim in aliam

linguam ad verbum expressa translatio, sensum operit et veluti leto gramine sata strangulat.» Et paulo post ita subdit: «Dies me deficiet, si omnium qui non ad sensum interpretati sunt, testimonia replicavero.»

[62] «Sufficit in presenti nominasse Hilarium confessorem, qui Homelias in Iob et In Psalmos tractatus plurimos» ita interpretatus est, ut sensum, non verba sequeretur. Nec hoc mirum in ceteris seculi aut Ecclesie viris, cum Septuaginta interpretes et Evangeliste atque Apostoli idem in suis voluminibus fecerint. Legimus enim in Marco dicentem Dominum: *Ialda cumi* statimque subiunctum est: «Puella tibi dico: ‘Surge’», cum in hebreo tantummodo sit «Puella surge». Sed ut id ipsum emphaticoteron faceret ac sensum invitantis et imperantis exprimeret, addidit: «Tibi dico».

[63] «Rursus in Mattheo, redditis a proditore Iuda triginta argenteis et empto ex eis agro figuli, scribitur: “Tunc impletum est quod scriptum est per Hieremiam prophetam dicentem: ‘Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quod appretiaverunt filii Israel: et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus’”. Hoc in Hieremia penitus non invenitur, sed in Zacharia aliis multo verbis ac toto ordine discrepante». [64] Et ubi propria Vulgate editionis verba ad manifestam quandam tante et tam dissimilis discrepancie ostensionem posuit: «Veniamus», inquit, «ad illud eiusdem Zacharie testimonium, quod Ioannes sum[m]it iuxta Hebraicam veritatem: “Videbunt in quem compunixerunt”, pro quo in Septuaginta legimus <*kai epiblepsontai pros anth'on enorkhesanto*> quod interpretati sunt Latini: “Et aspicient in me, pro iis qui illuserunt vel insultaverunt”. Discrepat Evangelista et Septuaginta, nostra quoque translatio, et tamen sermonis varietas spiritus unitate concordat.

[65] In Mattheo quoque legimus Dominum predicentem Apostolis fugam, et hoc ipsum testimonio Zacharie confirmantem. Nam “Scriptum est”, ait, “Percutiam pastorem, et dispergentur oves”. At in Septuaginta et in Hebreo multo aliter est. Non enim ex persona Dei dicitur, sed ex prophete Deum patrem rogantis: “Percute pastorem, et dispergentur oves”».

[66] Sed quid pluribus exemplis opus est? Totum enim Vetus, ut dicitur, Testamentum a Septuaginta interpretibus in grecum eloquium conversum, partim additamentis, partim omissionibus, partim denique alienis interpretationibus ita referctum reperitur, ut horum omnium cumulus, si simul congereretur ita ut uno aspectu aspici viderique posset, profecto talium discrepaniarum numerus pene incredibilis et quasi infinitus putaretur. [67] Hanc tantam et tam ingentem varietatem antiqui doctores nostri evidentibus signis in codicibus suis per hunc modum notare consueverant. Nam que addita erant, signis quibusdam in stellarum modum factis, ad capita versuum notabant, et huiusmodi signa grece *asteriscos* vocabant. Ea vero que omissa fuerant, ad capita eorundem versuum iacentibus virgulis quasi veribus signabant, que illi *obelos* vel cum diminutione *obeliscos* appellabant. [68] Atque eandem ac multo maiorem inter alios celebratos Aquilam, Simachum et Theodotionem interpretes discrepaniam Origenis tempestate esse constabat. Que omnia cum ad manus illius prestantissimi viri ac grece et hebree lingue peritissimi pervenirent, novum quoddam et utile atque admirandum opus ad tollendam omnem, que ex multis tam diversis interpretationibus oriri videbatur, ambiguitatem ac contentionem in hunc modum composuit. [69] Nam cum lingue hebree virtutem ita mirabiliter didicisset,

ut ea que a Iudeis hebraice legebantur, diligenter cognosceret, et qualia quoque essent ea que a diversis interpretibus traducta fuerant, plane et aperte intelligeret, per hunc, ut diximus, modum singulare opus composuisse et compilasse traditur. [70] Per singulas quippe columnellas separatim opus uniuscuiusque interpretis ita accurate descripsit, ut primo omnium ipsa hebreia verba hebraicis scripta litteris poneret; hebreis deinde characteribus e regione greca verba signaret; tertio Aquile editionem subiungeret; quarto Simachi, quinto Septuaginta interpretum, sexto Theodotionis interpretationem collocaret, et ob hanc novi et admirabilis operis compositionem huiusmodi exemplaria Exapla, id est seximplici ordine scripta, vocavit. [71] Editiones autem, quas et Nicopoli et in Hierico et alibi sine certis auctoribus se invenisse testatur, sextam ac septimam editionem nominavit. Missos facimus duos excellentes Sacrarum Scripturarum de hebreo in caldeum idioma interpretes, quorum alter Unchelos, Calonici filius ac Titi nepos, nescio quorum proselitus, appellatus est.

[72] Hic totum Moysi Pentatheucum ex hebreo in caldeum ita convertit, ut utrobique ob admirabilem quandam interpretationis sue excellentiam in summa, quin immo in tanta veneratione apud Hebreos Caldeosque habeatur, ut pro sacro ac divino textu consensu omnium existimetur, atque Targum caldaice nuncupatur. Alter vero, nomine Ionathan ben Oziel, digna superioris traductoris vestigia post trecentos circiter annos imitatus, reliqua omnia que ad Vetus Testamentum pertinebant, eodem modo pariterque convertit. Et tamen plerunque sensum secuti, a verbis interdum recessisse videntur.

[73] Et ad idoneos quoruncunque tam profanorum quam sacrorum auctorum interpretes parumper redeamus, si prius unico ex multis memoratu dignis et quidem celebrate sacreque auctoritatis exemplo id quod dictum est, paulo dilucidius et evidentius ostenderimus. In illa nanque certa et decantata de expresso Messie adventu Geneseos sententia, in qua latinis litteris in hunc modum scriptum reperitur: «Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium», in hebreo id quod ad propositum nostrum spectat, sic scribitur: «Donec veniat scilo». [74] Quod commemoratus Unchelos evidenter Messiam interpretatus est; licet verbum *scilo*, in textu sacro hebraice positum, a scigla, quod quidem *secundinam* significat, derivatum atque infantem secundina involutum et inde denominatum fuisse videatur. [75] Nullam ad verbum factam traductionem laudabilem ac perfectam esse posse quibusdam rationibus plurimisque etiam prestantissimorum virorum auctoritatibus plane et aperte superius probasse atque confirmasse meminimus, ac magnam quoque inter poetarum, oratorum ac historicorum traductores et inter philosophorum ac theologorum interpretes diversitatem esse fierique oportere manifestissime demonstravimus. [76] Nam illis primis sive poetarum sive oratorum sive historicorum, ut ita dixerim, conversoribus non nunquam elegantie et ornatus gratia arida ieunaque et exilia amplificare, et obscura pretermittere, et interdum pro sua voluntate dilucidius interpretari licet. [77] Fidi vero philosophorum theologorumque interpretes non ita pro suo arbitrio vagi ac liberi, quasi per latos et apertos campos hinc inde discurrere et pervagari debent, sed arctioribus quibusdam interpretandi legibus pressi et quasi certis cancellis astricti, modestius graviusque iuxta severam quandam professionis sue normam incedere progredique coguntur, nee ab incepto convertendi proposito longius evagantes,

nec primis etiam auctoribus omnino ac penitus ad verbum adherentes, sed medium et tutum, ut dicitur, iter tenentes, inter interpretandum ita se mediocriter habere decet, ut neutram in partem declinare ac propendere videantur. [78] Hoc enim ab eis, si diligenter et accurate quale et quantum sit hoc ipsum interpretandi onus consideraverint, divina presertim omissis philosophis -hoc inquam ab eis- Sacrarum Scripturarum auctoritas in primis non iniuria exigere et postulare existimabitur.

[79] Quod si forte Septuaginta interpretes in sua illa tam celebri et tam famosa interpretatione, et Apostoli quoque et Evangeliste allegationibus suis aliter fecisse ac servasse comperiuntur, ob singularem quandam illorum tam prestantissimorum et tam excellentissimorum virorum auctoritatem divinitus, ut ab idoneis auctoribus scribitur, concessam, id duntaxat talibus viris licuisse iure ex eo autumatur et creditur, quod divina sacrarum Scripturarum mysteria illis celitus innotuisse putentur, qua quidem abstrusarum rerum revelatione illustrati, ita interpretari posse videbantur, ut primos scriptores divinitus intellexisse et enuntiasse percepérant. [80] Atque ob hanc solam causam a recto idoneorum fidorumque interpretum officio tam procul recessisse non immerito excusantur, quanquam impiis quibusdam doctisque hominibus, utpote Celso, Porphyrio ac Iuliano, manifestas quasdam calumniandi scripturas nostras ansas usque adeo prebuerunt, ut omnes tres commemorati auctores scriptis suis in vehementes Scripturarum nostrarum calumnias multum admodum prolaberentur.

[81] Ego enim de cunctis aliarum rerum in alia idiomata interpretibus ita sentio, ut cuncta queque aliorum auctorum scripta, sacris Litteris duntaxat exceptis, pro libero voluntatis suorum interpretum arbitrio, primorum scriptorum sensu tantummodo servato, diversimode tamen, ut dictum est, traduci possint et valeant. Ceterum Sacra Scriptura ob divinam eius in omnibus auctoritatem, que nec fallit nee fallitur, solemnem quandam et accuratam, gravem atque affectatam interpretationem vel maxime et in primis exigere et postulare videtur. [82] Non tamen ita ad verbum fiat conversio, ut exinde declarationis et intelligentie gratia plerunque non recedat, nec ita vaga ac lasciva sit oportet, ut procul abesse videatur atque nunquam cum nova addat, tum vetera pretermittat, nec plura alia diversimode, ut libuerit, interpretetur et exprimat, quemadmodum Hieronymus noster, optimus ae gravissimus interpres, hanc tam astrictam et tam severam ac tam accuratam de interpretandis Sacris Scripturis legem plerunque expressisse ac servasse videtur. [83] In hac enim sua universali et pernecessaria ac utilissima utriusque Testamenti, hebrei et greci, in latinam linguam traductione quandoque ita a verbo recedit, ut non solum sacer sensus ad unguem servetur, sed etiam dilucidior reddatur ac denique ornatior et illustrior habeatur.

[84] Quapropter cum primo de cunctorum scriptorum obtrectatoribus ac secundo de diversis sacrarum Scripturarum interpretibus, et tertio et quarto de plurimis utriusque Psalterii iampridem conversi differentiis ac diversitatibus, atque postremo de recta interpretatione, et quemadmodum secularium auctorum omnium traductiones a sacris divinisque differre distareque videantur, pro modulo nostro hactenus disseruerimus, [85] reliquum est ut in calce totius voluminis paucis expediamus cur ecclesia Romana in orationibus suis privatis et publicis Septuaginta Psalterii interpretationem in diurno et universali usu alteri Hieronymi de hebraica veritate traductioni usque adeo pretulisse

videtur, ut altera quotidiano immo continuo et perpetuo usu approbetur, altera vero absque ulla consuetudine repudiata adeo torpescat, ut nunquam fere vel raro in lucem prodeat, [86] presertim cum in priori illa ac vetustiori multa addita, plurima omissa, non nulla aliter conversa, certa quemadmodum supra tertio et quarto libro singillatim ostendimus; in altera vero vel nihil, vel pauca huiusmodi reperiantur. Mihi huius tam admirabilis et tam abstruse rei causas paulo diligentius et accuratius mecum ipse diutius perscrutanti ac crebrius animadvertenti, quatuor duntaxat fieri potuisse non iniuria videntur.

[87] Una occurrebat quia inter omnes sacrarum Scripturarum traductiones, ut est communis omnium christianorum populorum ac universalis cunctorum pene eruditissimorum virorum opinio, prima fuerat, que ante Christi adventum in medium lucemque prodierat. Secunda quia ab Evangelistis et ab Apostolis, in iis tamen in quibus ab hebraica veritate non discrepabat, usurpata cernebatur.

[88] Tertia quia, ad communem ac vulgatam omnium christianarum gentium opinionem, [quod] singillatim quique ab aliis interpretandi collegis diversis cellulis et habitaculis separati, ita mirabiliter interpretati fuisse creduntur, ut una sola, et non plures, interpretatio, videretur. Unde cum hoc humanis viribus fieri et provenire non potuerit, a Spiritu Sancto facta et celebrata fuisse creditur.

[89] Ultimo propter carminum sonoritatem versuumque concinnitatem. Illa enim Septuaginta interpretatio carmina sonantiora ac concinniora et ecclesiasticis cantibus ac synphoniis accommodatoria quam altera Hieronymi consensu omnium continere videtur.

[90] Atque hec habuimus, gloriosissime princeps, ut, ad Maiestatem tuam tandem aliquando quasi longo quodam postliminio ex longa peregrinatione ad patriam reversi, in hoc adversus obtrectatores nostros Apologetico, pro certa quadam sacrarum Scripturarum latinarum catoliceque veritatis defensione, diligenter accurateque ad perpetuam, et eternam nominis tui gloriam congereremus.

EXPLICIT LIBER QUINTUS ET ULTIMUS APOLOGETICUS IANNOZII MANETTI  
AD ALFONSUM CLARISSIMUM ARAGONUM ET SICILIE REGEM FELICITER

---

<http://www.bibliotecaitaliana.it/xtf/view?docId=bibit000336/bibit000336.xml&chunk.id=d3799e126&toc.depth=1&toc.id=&brand=default>